ANNALES
ARSACIDARVM

AVCTORE

LVDOVICO DV FOVR

DE LONGVERVE,

ABBATE S. JOANNIS DE JARDO AD MELO
ET SEPTEM FONTIVM IN THERASCIA.



ARGENTORATI,

Apud JO. REINHOLDUM DVLSSECKERVM, SENIO

M DCC XXXII.



JOH. DANIEL SCHOEPFLINVS,

HIST. ET ELOQ. IN VNIVERSIT. ARGENT. PROF. PVBL.

Lectori S.

VIum Illuſtris horum Annalium Auctor exemplum ab ipſo emendatum auctumque nobiscum benigne communicaverit, eosdem in Eruditorum gratiam ceu genuinos, ipſo conſentiente,

publicæ luci exponere haud dubitavimus.

Incomparabilis hujus Viri variæ lucubrationes, insigni doctrina & eruditione refertæ jam pridem per orbem Literatum volitant, sed omnes fere manuscriptæ & ob Librariorum vel festinationem vel imperitiam plerumque mutilæ valdeque corruptæ. Nonnulla etiam typis mandata sunt apud Anglos, inscio Auctore, sed & illa haud satis castigata. Quantum hæc Edi-

tio diſtet ab ea, quæ olim Lutetiæ Pariſiorum fuit impreſſa, ipſa docebit comparatio. Forte alia ſucceſſu temporis ex ſcriniis hujus temporum noſtrorum Varronis proferemus; qui ſingularem Ejus benevolentiam, arctamque, qua Ille me dignatur, amicitiam inter præcipuos itineris mei literarij fructus jam pridem reputavimus. Illud denique Lectorem monemus; cum Annales hi ex ipſis fere veterum Scriptorum verbis ſint concinnati, ne

magnam ſtyli dictionisque miretur varietatem. Omnia ex optimis deſumta ſunt Hiſtoricis, ſed non omnes erant optimæ Latinitatis.

Approbation.

J'Ay lû un manuſcrit qui a pour titre les Annales des Arſacides *par Mr. l'Abbé de Longueruë ; Les lumieres, que repand cet ouvrage ſur cette partie de l'hiſtoire aſsés obſcure, repondent parfaitement â la reputation de l'Autheur, & rendront l'impreſſion utile au public. Fait à Strasbourg ce 20. Fevrier 1732.*

DE KLINGLIN.

DE KRISTUS

TAB I.

Series Genealogica Priorum Regum Arſacidarum.

Arſaces privatus.

- Arſaces I. Rex Parthor.
- A. Tiridates Magnus.
  - A. Artabanus R. P.
    - A. Phrapatius R. Parth.
      - Artabanus Rex.
        - Mithridates II. Magnus Rex.
          - N.
          - N.
      - A. Phrahates R.
        - Mnaskires, Rex Parth. Ao. 665. V. R.
      - A. Mithridates Deus R. Parth.
        - Phrahates II. Rex.
          - Sinatrokkes natus An. 597. V. R. denatus An. 684. annos natus 87.
            - Phrahates III. ſeu Deus Rex.
              - Mithridates. J. R.
              - Hoſroës Rex.
              - Pacorus.
              - Phrahates IV. Rex.
                - Phahataces parricida.
                - Rodaſpes
                - Vonones Rex.
                  - Meherdates ſub Claudio.
                - Phrahates Rex deſign.
                - Seroſpades
                - Tiridates ſub Tiberio.

Hanc Genealogiam ex conjecturâ delineavi, nec ut indubitatam & certiſſimam produco.

TAB II.

Series Genealogica Poſteriorum Arſacidarum.

Artabanus Arſacida R.P. ſub Tiberio.

- Vardanes R. P.
- Gotarzes R. P.
- Vonones Rex Mediæ 1um poſt Parth.
  - Tiridates Rex Arm.
    - Exedares Rex Arm.
      - Parthamuſapes Rex Arm.
        - Achæmenes R. Arm.
          - Sohæmus Rex Arm.
            - Sanatrucus Rex Arm.
              - Vologeſes Rex Arm.
                - Tiridates Rex Arm.
  - Pacorus Rex Mediæ.
  - Pacorus Rex Parth.
    - Partamiſiris R. Arm.
      - Arſaces I. Rex Arm.
        - Artavazdes R, Arm.
          - N. Arſacida R. ſub Diocletiano & Galerio.
            - Tiridates Rex Arm.
              - Arſaces II. Rex Armen.
                - Para Rex Arm.
                - Arſaces III. R. Arm.
                  - Arſaces IV. Rex Arm. regni ſui portionem dat Romanis.
                  - Tigranes Rex ſuam portionem dat Perſis.

Poſt annum Arſac. 675.
- Arſaces Rex Arm.
- Horodes Rex Arm.
- Vologeſes I. R. P.
  - Artabanus R. P.
    - Choſroes ſeu Hoſroes R. P.
      - Vologeſes II. R. P.
        - Vologeſes III. Rex P.
          - Artabanus poſtremus Rex Parthorum.
            - N. filius. in Armeniam profugiunt.
            - N. filius.

ANNALES
ARSACIDARVM.

ANNO ante Christum 262. Urbis Conditæ 492. Seleucid. $\frac{50}{51}$ mortuo Antiocho Sotere, Rege Syriæ, regnat filius ejus Antiochus, qui vocabatur Θεὸς, id est, Deus.

Iste adversus Ptolomæum Philadelphum, qui 2dus imperabat Ægyptiis, gessit bella quam plurima, *& totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit.* Hieron. in Cap. XI. Daniel. ex Chron. Porphyrii, qui sua a Sutorii Callinici Chronicis habuit.

Interim dum copiis & exercitibus vacuæ inermesque Orientis Satrapiæ remanent, Græci Bactrianam incolentes Macedonum osores rebellant. Primum (Græcus) *Euthydemus* Bactrianam vicinasque regiones fidei suæ commissas ad defectionem pertraxit. Strabo lib. XI. pag. 515. hic deinde obiit, cum diadema sumere non fuisset ausus. At ejus succes-

Arſaces & Teridates fratres ſatrapærum munere fungebantur apud Bactros, (id eſt partem Bactrorum regebant) Agathocle Macedone præfecturam adminiſtrante Perſicæ; (late ſumptæ pro omnibus ſuperioribus ſatrapiis ſeu regionibus transtigritanis.) Arrianus teſtis in Parthicis; apud Syncellum (Chron. pag. 284.) *Bactrianum fuiſſe Arſacem tradunt, & incrementa Diodoti fugit*, (id eſt, cum non ſupereſſet ei quomodo reſiſtere poſſet Diodoto, fugit cum fratre ad Agathoclem.) Strabo lib. XI. pag. 515. & Arrianus apud Syncellum: *Arſaces* & *Teridates* fratres generis originem in Artaxerxem Perſarum quondam Principem *referebant*; Artaxerxem, inquam, Mnemonem, qui primum *appellabatur Arſaces*. Cteſias in Frag. Pers. pag. 652. Quid quod avus Darii Hyſtaspidis Arſaces vocabatur apud Herodot. lib. 1. Cap. 209. & lib. 7. C. 11. Inde argumentum non leve aſſumebant Arſacidæ ſuæ originis deducendæ ex priſcis Perſarum Regibus, at reverâ *incertæ originis* erat Arſaces. Ep. Trog. lib. 41. Erant tamen duo fratres Ἀρσακίδαι τὼ υἱὼ, Ἀρσάκου τοῦ Φριαπαλίου ἀπογόνω, teſte Arriano in Parthicis apud Phot. Bibl. Cod. 58. (Sic enim corruptum locum emendandum non dubito) id eſt, Arſacidæ filii duo Arſacis Regis, *Phriapatii nepotes*. Phriapates ſeu Phrapates idem ac Aphrapates ſeu & Papatius, nam apud Perſas idem Aphra eſt ac Pa apud Turcas Scythasque, (ſcilicet elatus, ſupremus, maximus) quæ nominibus propriis, ut & *Art* præponuntur. Hi Phereclem (Agathocles nominatur apud Syncellum) quod altero fratrum per vim abuti fædé conatus eſſet, (ſed fruſtra διαμαρτήσας apud Syncellum) contumeliam non *ferentes necarunt: conſciis etiam aliis quinque*. Arrianus in Parth. apud Phot. Cum aperte rebellaſſet Arſaces, regionem pauperrimam Parthiam, quam parvi fecerant Perſæ & Macedones, occupat autumno anni A. C. 256. V. C. 498. Periodi Julianæ 4458. Ineunte anno Seleucid. 57. cum Romæ Conſulatum gererent *Lucius Manlius Vulſo, & Marcus Attilius Regulus*; ſuffectus Cæditio qui in Magiſtratu obierat; teſte Trogo Pompeio (apud Juſtinum lib. 41.) cui optime convenit cum Arriano, his enim Coſſ. regnabat Antiochus Theos. Initium

Attilio Regulo & Vulſone 2. ſed Marco A. Regulo & Vulſone Coſſ. Parthi a Syromacedonibus defecere. Ab hoc igitur anno exordium ſumit Æra Arſacidarum. Parthia (quæ Arſacem Regem ſuſcepit) ampla non erat, ut quæ a Perſis atque etiam Macedonibus cum Hyrcania fuerit cenſita. Strabo lib. XI. pag. 514. ab eodem Arſace ejus Succeſſores, Arſacidæ & Arſacæ dicti. Iſte vero regno in Parthia potitus duobus annis, occiditur. Arrianus apud Syncellum. Arſacem primum ab ejusdem fratre Strabo non diſtinguit lib. XI. pag. 515. nec diſtinxit Epitomator Juſtinus, qui multa in Parthica hiſtoria confundit vel omittit contra mentem authoris, Trogi ſcilicet, ut infra demonſtrabitur.

Occiſus eſt Arſaces I. anno V. C. 500. A. C. 254. Seleuc. ineunte an. 59. & Arſacid. 3. Regiam conſtituerat Urbem Hecatompylon, quæ vetus Regia Parthorum fuit. Curtius lib. 6. c. 2. Urbs erat eâ tempeſtate clara Hecatompylos condita à Græcis. Inde Arſaces ut novorum ſubjectorum benevolentiam ſibi devinciret Φιλέλλην appellari voluit, ut ex Nummis patet.

Tiridates, qui Arſacis nomen aſſumpſit, poſt mortem fratris eidem ſucceſſit anno A. C. 254, ineunte anno 59. Seleuc. & Arſac. 3. Ab initio quidem infirmus fuit. Strabo lib. XI. pag. 515.

Anno A. C. 243. V. C. 511. currente anno Seleuc. 69. Arſacid. vero 15. Cum Ptolomæus Evergetes Rex Ægypti pacem in annos decem feciſſet, cum Seleuco Callinico filio & ſucceſſore Antiochi Thei, iſte expeditionem ſuſcipit contra Parthos, quos ſubigit. *Arſaces Callinicum fugiens ad Sacas ſeu Scythas Aſpaſiacos ſe contulit*; teſtis Strabo lib. XI. pag. 513. Mox novis motibus Seleucus in Aſiam Cis Euphratenſem revocatur.

Anno ſequenti A. C. 242. rebus extra Taurum (reſpectu Syriæ) novatis, quod Syriæ & Mediæ Reges (Seleucus Callinicus & Antiochus Hierax ejus frater) diſſiderent, quibus iſtæ regiones parebant; Arſaces Scytha (origine) Dac quosdam obtinens, quos Parthos vocant Nomadas, qui a

tias Hieraci ferebant) ſolutus Regis metu, cum prædonum manu Parthos ingreſſus, præfectum eorum Andragoram à Seleuco conſtitutum oppreſſit; ſublatoque eo, *imperium gentis* (iterum ſupple) *invaſit*. Epit. Trogi lib. 41.

Revocato Seleuco *novis motibus in Aſiam* (bellis nempe civilibus cum Antiocho Hierace) dato laxamento, regnum Parthicum format Arſaces, militem legit, caſtella munit, civitates firmat, urbem quoque Daram in monte Zapaortenon (Darieum ſeu Dareium in regione Zapuortene vel Apavortene dicta, Plin. lib. 6. c. 16.) condit. Hæc recitat Juſtinus ordine præpoſtero.

Non magno deinde poſt tempore Hyrcanorum quoque regnum occupavit. (Epit. Trogi ibidem) Cum diu & per annos multos bellum civile inter duos fratres Seleucidas exarſerit, his occupatus & diſtentus Seleucus nec de expeditione Parthicâ cogitare, nec Arſaci metum incutere potuit ante annum A. C. 235. circiter.

Anno fere 234. A. C. V. Cond. vero 520. Seleuc. 77. Arſac. 23. Arſaces grandem exercitum parat metu Seleuci & Theodoti (ſeu Diodoti) Bactrianorum Regis, ſed citò morte Theodoti (primi ſcilicet) metu liberatus, cum filio ejus & ipſo Theodoto (appellato Diodoto 2.°) fœdus ac pacem fecit. Ep. Trog. ibidem.

Nec multo poſt anno 233. (circiter) ante Æram Chriſti Arſaces cum Seleuco Rege ad defectores perſequendos veniente congreſſus victor fuit, quem diem Parthi exinde ſolemnem velut initium libertatis obſervarunt. Epit. Tr. ibidem. Seleucus expeditione in Mediam ſuſceptâ cum Arſace bellum gerens à barbaro captus, & diu apud illum commoratus habitus fuit regia prorſus *magnificentia & impenſa*. Poſidonius hiſt. lib. 16. apud Athenæum Deipnos. lib. 4. pag. 153. Expeditio ideò in Mediam ſuſcepta, quod Arſaces partem Mediæ jam occupaſſet. Parthia, inquit Strabo lib. XI. pag. 514. aucta fuit: partes ejus ſunt Camiſene & Chorene, fere etiam quidquid eſt ad portas Caſpias, & Aragos, & Tapyros, quæ olim Mediæ fuerant: eſt & Apamæa & Heraclea

ſtaurata) à Nicatore quam ipſe Europum appellavit, *Parthi vero Arſaciam* (Arſacis magni nomine, qui eam ſui juris fecit.)

Anno A.C. 217. Urb. R. 537. Seleuc. 96. Ineunte vero Arſac. $\frac{39}{40}$ *Arſaces conſtituto Regno decedit.* Ep. Tr. lib. 41. *regnavit annos* 37. Arrian. in Parthicis apud Syncellum. Arſaci Magno ſuccedit filius *Arſaces & ipſe nomine.* Ep. Trogi; proprium tamen nomen ejus *Artabanus* erat. Prolog. l. 41. Trogi.

Anno A. C. 212. V. C. 542. Seleuc. $\frac{100}{101}$ Arſac. $\frac{40}{41}$ juxta Chronologiam Uſſerianam, Antiochus Magnus Parthiam & Mediam invadit, expeditionemque ſuſcipit adverſus Arſacem (Artabanum nomine). *Iſte adverſus Antiochum* (Magnum) *Seleuci filium* centum millibus peditum & viginti millibus equitum inſtructum mirâ virtute pugnavit *ad poſtremum in ſocietatem aſſumptus eſt.* (Ep. Tr. lib. 41.) In ſocietatem, inquam, adverſus Græcos Bactrianæ, quos opprimere cupiebat Antiochus. nam ante aliquot annos Diodotus 2^us^ Rex Bactrianorum vita & regno privatus fuerat ab Euthydemo Magnete. Teſtis Polybius frag. lib. XI. pag. 651. καὶ γὰρ αὐτὸς ἦν ὁ Ευθύδημος Μάγνης, erat vel aderat ipſe Euthydemus Magnes. πρὸς ὃν ἀπελογίζετο φάσκοντα ὡς; Locus corruptus ſic emendandus πρὸς τοῦτον ἀπελογίζετο, φάσκων τε ὡς; apud iſtum (Teleam Legatum Antiochi) defendebat ſe, dicens quod Antiochus injuſte conaretur ipſum è regno deturbare, cum a Rege nequaquam deſciviſſet, ſed cum alii deſciviſſent (Euthydemus ſenior & Diodotus primus) *eorum poſteros* (Diodotum 2^um^ ejusque liberos aut fratres) ſuſtuliſſe & Bactrianorum Imperium hoc pacto obtinuiſſe. (Euthydemus iſte poſterior non erat à prioris Euthydemi vel Diodoti genere.) hæc locutus (Euthydemus) Teleam ad Antiochum miſit..... qui pacis conditiones non invitus accepit... Euthydemus Demetrium filium ſuum ad ſanciendum fœdus miſit: cujus indole Rex cum eſſet delectatus, primo quidem unam è ſuis filiabus ſe ei deſponſurum promiſit, deinde ejus patri regii nominis uſurpandi fecit poteſtatem. Hæc contigere anno A. C. 211. V. C. 543. Seleuc. 102. circiter.

Arsaces vero Artabanus vicinorum principum amicus & foederatus Parthis imperavit, tranquilla pace fruens, quot annis regnaverit, aut quo anno obierit, incertum veteribus historicis; Posidonio nempe, Apollodoro, & Trogo jam deperditis.

Anno incerto, temporibus tamen Antiochi Magni & Seleuci Philopatoris Regnum Parthorum 3us ab Arsace Magno suscepit Phriapatius seu Pampatius. *Aphra Pati* & *Pa Pati maximum pati* Latinè diceres. Rex iste appellatur absolutè Badi seu Pati, in Tarich Persico apud Schickardum p. 104. Justinus nihil ex Trogo suo de hoc Rege exscripsit, nisi quod actis in regno annis 15. decesserit: nihil istud lucis affert Chronologiæ, nam quo anno regnare ceperit, vel desierit, aut quid ab ipso gestum fuerit ignoratur. Latent enim ista omnia crassis occultata & circumfusa tenebris.

Rege isto Parthis imperante, ut conjicio, Græci Bactriani orientis remotissimas regiones subegerunt. Strabo lib. XI. pag. 516. Tanta fuit Græcorum, qui Bactrianam a Macedonibus abalienarunt, potentia, ut & Arianem obtinuerint, & Indiam; ut ait Apollonius Adramyttenus; ac plures quam Alexander gentes subegerint, maxime Menander: siquidem is & Hypanim transivit versus ortum & μέχρι τοῦ ἰσάμου, emenda ἰμάου; nam ut ait idem Strabo ejusdem lib. XI. pag. 519. ultimam Tauri partem, quæ Imaus vocatur, Indiam attingens, neque magis quam India accedere ad ortum neque recedere. Et Solinus Cap. 38. *apud Indos Imaus.* Suffragatur Plinius lib. 6. cap. 17. Menander, inquam, usque ad Imaum montem pervenit, hæc enim partim ipse egit: partim Demetrius Euthydemi filius, Bactrianorum Regis. Non modo autem Pattalenem (insulam quam efficit Indus fluvius) sed & reliquam oram maritimam, & quod Tesarioste dicitur, ac quod Sigertidis regnum. Omnino autem inquit ille (Apollodorus) totius Arianes præcipuam esse partem Bactrianam καὶ δὴ καὶ μέχρι Συρῶ (emenda Σηρῶν) καὶ Φαύνων (emenda Φρύνων) *quin usque ad Seras, & Phrunos imperium protulerunt.* Ad Seras, inquam, non ad Syros, nam Græcos Bactrianos imperium protulisse usque ad Syros & Phœnices aperte falsum est. Eò loci autem

der Magnus. Phruni autem gens Scythica Seribus vicina est, ut docet nos Dionysius-Alexandrinus versu 752.

Καὶ Τόχαροι Φροῦνοί τε καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν
Et Tochari Phrunique & gentes Barbaræ Serum.

Menander quidem ille, Bactrianæ Rex, optimus Princeps fuit, quem sui cives mortuum impense coluerunt, ut narrat Plutarchus in præceptis politicis (pag. 821. D.) nam cum imperium juste ἐπιεικῶς gessisset, ejus in castris mortui funus civitates pro consuetudiue procurarunt. At de reliquiis in certamen venerunt ægreque pax hac conditione coiit, ut singulæ parte cinerum ablata æquali monumentum ei viro apud se quæque ponerent.

Phrahates, *major filiorum* Pampatii, more Gentis *regni hæres fuit.* Mardos validam gentem bello domuit: nec multo post decessit multis filiis relictis: quibus præteritis fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit Imperium; plus regio quam patrio deberi nomini ratus, potiusque patriæ quam liberis consulendum. Epit. lib. 41. Trogi. Obiit Rex iste Phrahates, cum Syris adhuc imperaret Antiochus Epiphanes.

Hoc Phrahate superstite Demetrius Bactrianorum Rex finem imposuit expeditionibus Indicis, de quibus hæc leguntur in prologo lib. 41. Trogi Pompeij: *Indicæ quoque res additæ, gestæ per Apollodorum & Menandrum Reges eorum.* Locus depravatissimus, nam Apollodorus non fuit Rex Bactrianorum, sed historicus patria Adramyttenus, cujus libri jamdudum interierunt. Iste quidem, ut docet nos Strabo, gesta Parthorum, Bactrianorum & Indorum scriptis mandaverat. Legendum itaque, *Indicæ res additæ, ex Apollodoro; gestæ per Menandrum & Demetrium reges eorum.*

Anno A. C. 164. V. R. 590. Seleuc. 148. Arsac. 92. circiter, ut conjicio, Parthici imperii habenas capessivit Methridates primus, sextus ab Arsace. (teste Paulo Orosio lib. 5. cap. 4.) Sextus, inquam, nam Arsaces Senior primus fuit. Arsaces 2^dus^ Magnus dictus, cujus nomen verum Tiridate fuit. Inde imperarunt Arsaces seu Artabanus 3^us^. Arsaces se

Eodem ferme tempore (ut habetur lib. 41. Trogi Epit.) *ſicuti in Parthis Mithridates, ita in Bactris Eucratides magni uterque viri regna ineunt*: *Eucratides inquam ſucceſſor Demetrii.*

Interea Antiochus Epiphanes, cum Orientis Provincias non veluti Rex ſed quaſi prædo expilaret, templum Naneæ, ſeu potius Anaitidis, diripere aggreſſus repulſam paſſus eſt ab Elimæis ferociſſimis & bellicoſiſſimis, ipſi palam & armis reſiſtentibus. Cumque non multo poſt turpi morbo periiſſet; Elimæi, Medi, Perſæ, & finitimæ gentes à Syromacedonibus deficientes ſibi Reges conſtituerunt. Nam deinceps ſui juris eſſe cœperunt, Monarchis tamen pro Aſianorum more parentes. Regem vero ſibi præfecerunt Medi Timarchum quemdam, cui Demetrius Soter Seleucida bellum intulit, ut docet nos Trogus prologo lib. 34.

Parthorum fortuna feliciſſima ad ſummum Mithridate duce imperii faſtigium eos perduxit. (Epit. lib. 41. Trogi.) Rex iſte *cognomine Deus* extitit, ut docet nos Trogus prologo lib. 41. verum hic nomen *Tigranis*, Mithridatis loco, à librariis abſurdè nimis ſubſtitutum. Nam Tigranes Parthorum Rex nullus fuit: totoque hoc lib. 41. de Tigrane ſeu Seniore ſeu Juniore regibus Armeniæ altum ſilentium.

Eucratides Bactrianorum Rex urbem condidit vel inſtauravit Eucratidiam; quæ ab hoc principe *nomen mutuata eſt.* Strabo lib. XI. pag. 516. *multa Eucratides bella* magna virtute geſſit, quibus attritus, cum obſidionem Demetrii Regis Indorum pateretur, cum 300. militibus 60. millia hoſtium aſſiduis eruptionibus vicit; 5° itaque menſe liberatus, Indiam in poteſtatem redegit: unde cum ſe reciperet, a filio (Eucratida 2) quem ſocium regni fecerat, interficitur, qui non diſſimulato parricidio velut hoſtem non patrem interfeciſſet, & per ſanguinem ejus currum egit, & corpus abjici inſepultum juſſit. Indi quidem jam tunc a Bactrianis defecerant proprio regi ſubjecti.

Dum hæc apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos bellum oritur, cum varius utriusque populi caſus fuiſſet, ad poſtremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates Mediæ Bacaſin præponit. Epit. Trogi

Ipſe (Mithridates) in Hyrcaniam proficiſcitur expeditionis bellicæ ergo procul dubio; hinc colligo Hyrcanos rebellaſſe, dum Mithridates Medico bello occupatus erat. Unde reverſus (rebellibus perdomitis) bellum cum Elymæorum rege geſſit, hancque gentem regno adjecit. Juſtinus ibidem. Parthus, inquit Strabo lib. 16. pag. 744. audiens eſſe templa apud Elymæos opulenta, videnſque haud quaquam ultro conceſſuros, vi magna invaſit, & Minervæ templum ac Dianæ, quod Azara dicitur, cepit, decem millia talentorum gaza ablata. Capta eſt etiam prope flumen Hedyphontem Seleucia magna, quæ prius Soloce vocabatur. Oppidum Elymaidis Seleucia apud Plinium lib. 6. c. 27. flumen vero Hedyphon, prope quod ſita erat Seleucia iſta, appellatur ab eodem Plinio ibidem Hedypnus.

Reges alios orientales Parthus uſque ad mare rubrum, ſeu ſinum Perſicum, & inter cæteros Perſidis Regem, ſubegit: at nequaquam ſpoliavit, ſed tantum in clientelam ſuſcepit. *Imperium quidem Parthicum* (late ſumptum cum regnis inſervientibus quibus præerant reges) *rubro mari*, id eſt, *Perſico à meridie, Hyreano à ſeptemtrione* terminabatur, ut ſcribit Plinius lib. 6. c. 13. at octodecim tantum erant provinciæ, quæ à Satrapis Regis, Parthorum ſcilicet, regebantur, ut docet nos Iſidorus Characenus in *Parthicis Stathmis*, Meſopotamia & Babylonia, Apolloniatis, Chalonitis, Cambadene, Media ſuperior, Media Rhagiane, Choarne, Camiſene, Hyrcania, Aſtavene, Parthyene, Apavarcticene, Margiane, Aria, Anave, Drangiana, Sacaſſene, Arachoſia. Juxta Iſidorum inter provincias, quæ ſub imperio Parthorum fuere non annumerantur, Perſis, Carmania, Suſiania & Elymais, cum Perſæ ſuum ſemper peculiarem Regem etiam dominantibus Parthis habuerint, viribus quidem debilem & obnoxium Arſacidis, ut refert Strabo lib. 15. pag. 728. *etſi adhuc Perſæ* μέχει νυῦ ἴδιον βασιλέα ἔχουλες, *proprium habent regem, viribus jam exhauſti regi Parthorum obnoxij ſunt.* Regem etiam proprium habebant Elymæi eodem Strabone teſte pag. 744. Sicut & Characeni, quorum Characenorum regum nonnulla geſt

Anno A. C. 145. V. R. 609. Seleuc. currente 167. Arſac. III. Demetrius Nicator regnum Syriæ & Babyloniæ occiſo Alexandro Bala cum recuperaſſet, inter Parthos & Syro-Macedones bellum exoritur. *Mithridates victo Demetrij præfecto Babyloniam urbem finesque ejus univerſos victor invadit.* Paul. Oroſ. lib. 5. cap. 4. Dum Demetrius occupatus bellis civilibus cum Tryphone & Antiocho puero. Interim Mithridates imperium Parthorum à monte Caucaſo multis populis in deditionem redactis uſque ad flumen Euphratem protulit. Epit. Trogi ſub finem lib. 41.

Bactriani per varia bella jactati non regnum tantum, verum etiam libertatem amiſerunt. Siquidem Sogdianorum & Drangaritanorum (Drangianorum) Indorumque bellis fatigati ad poſtremum *ab invalidioribus* (olim dum regnabat Eucratides I.) *Parthis velut exangues oppreſſi ſunt.* Juſtinus lib. 41. Suum tamen habuere regem inſervientem Parthis, qui Eucratidem 2. non omnino dignitate & nomine regio privarunt, ſed ei duas ſatrapias ademerunt, Aſpioniam nempe & Turivam, ut ſcribit Strabo lib. XI. pag. 517.

Ad Indiam quoque cruentum extendit imperium Parthorum Mithridates; omnes præterea gentes, quæ inter Hydaspem fluvium & Indum ſubegit. Oros. ibidem.

Sogdianos, Arios, Drangianos & Indos antea Græci Bactrienſes ſubegerunt, nam, ut ait Strabo lib. XI. p. 517. *poſſederunt & Sogdianam Bactrii*; & pag. 516. *Arianem obtinuerunt* ibidem: *Cum Aria cenſebatur Drangiana.* At frequenter cum rebellaſſent, bellis attriti, omnes a vicinis Parthis oppreſſi fuere. Arſaces (Mithridates) Parthorum Rex, cum clementiam atque manſuetudinem imprimis coleret, admodum proſpera ubique fortuna eſt uſus, atque imperii ſui limites longiſſime propagavit: etenim usque ad Indiam, in quâ Porus olim regnarat, progreſſus, cuncta nullo negotio ſubegit. Cæterum in tantam regni amplitudinem evectus, haud quaquam ad faſtum ac ſuperbiam, quod plerisque principibus uſu venire ſolet, ſe contulit, ſed clementia in ſubditos, adverſus hoſtes fortitudine uti inſtituit, cumque plurimas gentes imperio ſuo ſubjeciſſet, ex ſingulis collectis anti-

Anno *A.* C. 141. V. R. 613, Seleuc. ineunte 172. Arſac. 116. cum ab imperio Demetrii paſſim civitates Syriæ ad Tryphonem deficerent, ad abolendam ſegnitiæ maculam bellum Parthis inferre ſtatuit, cujus adventum non invitiOrientis populi videre; & propter Arſacidæ Regis Parthorum crudelitatem, & quod veteri Macedonum imperio aſſueti, novi populi ſuperbiam indigne ferebant. Itaque cum & Perſarum & Elymæorum Bactrianorumque (quorum omnium Reges inviti Parthis inſerviebant) auxiliis juvaretur, multis prælis Parthos fudit. Ad poſtremum pacis ſimulatione deceptus capitur. Juſtin. lib. 36. & lib. 38. Cum multis congreſſionibus victor fuiſſet, repente inſidiis circumventus amiſſo exercitu capitur. Et traductus per ora civitatum populis, *qui deſciverant in ludibrium favoris oſtenditur*. Itaque qui deſciverant omnes iterum ſubjugati, exceptis tamen Elymæis, ait enim Strabo lib. 16, pag. 744. Elymæi terram variam obtinent, quæ ferax eſt, incolas ruſticos habet, montana vero milites nutrit majore ex parte ſagittarios, & cum multa ſit, multum exercitum emittit; ideo Rex eorum potentia magna fretus, recuſat *Parthorum Regi obtemperare, quod faciunt alii.* Juſtin. 38. Demetrio Arſacides Parthorum Rex magno & regio animo miſſo in Hyrcaniam, non cultum tantum regium præſtitit, ſed & filiam in matrimonium dedit, regnumque Syriæ, quod per abſentiam ejus Trypho occupaverat, reſtituturum promittit.

Anno *A.* C. 139. V. R. 615. Seleuc. $\frac{174}{174}$ & Arſac. $\frac{117}{118}$ Mithridates *adverſa valetudine correptus* non minor Arſace proavo glorioſa *ſenectute decedit*. Juſtin. fin. lib. 41. & initio 42. Poſt necem Mithridatis Parthorum Regis Phrahates filius ejus Rex conſtituitur.

Anno V. R. 616. *A.* C. 138. Arſac. $\frac{118}{119}$ Seleucid. $\frac{175}{175}$. poſt Mithridatis mortem deſperato reditu non ferens captivitatem Demetrius, privatam etſi opulentam vitam pertæſus, tacitus in regnum fugam meditatur: hortator illi & comes Gallimander amicus erat: qui poſt captivitatem ejus à Syriâ per Arabiæ deſerta ducibus pecuniâ comparatis, Parthico habitu Babylonem pervenerat: ſed fugientem Phrahates, qui

Gallimandro quidem non tantum venia, verum etiam præmium fidei datum: Demetrium autem & graviter caſtigatum ad conjugem in Hyrcaniam remittit, arctioribusque cuſtodiis obſervari jubet. Juſtin. 38.

Syrorum autem nonnulli Seleucidis fidi hactenus Demetrium licet captivum Regem agnoſcebant; ut patet ex nummo Sidoniorum cuſo hoc anno 174. Seleucidarum, relato a Vaillantio Hiſtoriæ Regum Syriæ pagina 289.

Interjecto deinde tempore cum fidem illi (Demetrio) etiam ſuſcepti liberi (e filia Mithridatis) facerent, eodem amico comite repetita eſt fuga: ſed pari infelicitate prope fines regni ſui deprehenditur: aç denuo perductus ad Regem, ut inviſus a conſpectu ſummovetur, tunc quoque uxori & liberis donatus, in Hyrcaniam pœnalem ſibi civitatem remittitur, taliſque aureis ad exprobationem puerilis levitatis donatur: ſed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam non miſericordia gentis faciebat, nec reſpectus cognationis, ſed quod Syriæ regnum affectabant, uſuri Demetrio adverſus Antiochum fratrem, prout res vel tempus vel fortuna belli exegiſſet. Juſtin. 38.

Annus A. C. 130. V. C. 624. Seleuc. currente adhuc 182. & Arſac. 126. his (quæ Parthus adverſus Syriam parabat) auditis Antiochus Sidetes exercitum adverſus Parthos duxit. Advenienti Antiocho multi Orientales Reges, puta Bactrianorum, Perſarum, Elymæorum, Characenorum &c. occurrerunt, tradentes ſe regnaque ſua cum execratione ſuperbiæ Parthicæ. Nec mora congreſſioni fuit. Antiochus tribus præliis victor, cum Babyloniam occupaſſet Magnus haberi cœpit. Juſtin. ibidem. Demum exercitum Parthorum, cujus dux erat Satrapa Indates, ad Lycum amnem in Aſſyria ultra Tigrim delet feria 6ta. ſeu die, quæ Sabbatum immediate præcedebat. Sabbatum vero hoc anno Pentecoſtes ſubſequebatur, unde Antiochus Joannis ſummi ſacerdotis & principis Judæorum, qui in ejusdem regis caſtris militabant, motus precibus, biduo apud Lycum ſubſtitit cum exercitu integro, ut Judæis juxta ritus ſuos feriari liceret. Teſtis Nicolaus Damaſcenus apud Joſephum lib. 13. Antiquit. cap. 16.

tem præcedentibus annis hæc feſta concurrere nequeunt, Sabbatum & Pentecoſte. Omnibus populis ad Antiochum deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios (veteris Parthicæ) fines fuit.

Anno A. C. 129. V. R. 625. Seleucid. 183. & Arſac. 127. Phrahates Demetrium ad occupandum regnum cum Parthico præſidio mittit, ut eo pacto Antiochus ad ſua tuenda a Parthia revocaretur. Juſtin. 38.

Interim quoniam viribus non poterat, inſidiis Antiochum ubique tentabat. Propter multitudinem hominum exercitum ſuum Antiochus per civitates in hyberna diviſeſerat, quæ res exitii cauſa ipſi fuit. Nam cum gravari ſe copiarum præbitione & injuriis militum civitates viderent, ad Parthos deficiunt, & die ſtatuta omnes apud ſe diviſum exercitum per inſidias, ne invicem ferre auxilia poſſent, aggrediuntur. Quæ cum nuntiata Antiocho eſſent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ ſecum hyemabat, progreditur. In itinere obvium Regem Parthorum habuit, a ſuis deſertus occiditur. (idem ibidem) Id contigit exeunte hyeme currente anno 129. A. C. V. R. vero exeunte 624. inchoato à Palilibus anni Juliani præcedentis, vel 625. ineunte a Cal. Jan. Antiochus autem, ut narrat Hiſt. lib. 16. Poſidonius Apamienſis vetuſtiſſimus ſcriptor (apud Athenæum Deipnoſ. lib. 10. cap. 13.) cum contra Arſacem in Media bellum geſſiſſet, interfectumque ſepulturæ Arſaces eum mandaret; dixit: Audacia te partim fefellit, Antioche, partim vinolentia: Ἤλπιζες γὰρ ἐν μεγάλοις ποτηρίοις τὴν Ἀρσάκου Βασιλείαν ἐκπίειν; *Sperabas enim te magnis poculis Arſacis regnum ebibiturum.*

Pœnitere deinde Phrahatem dimiſſi Demetrii cœpit; ad quem retrahendum cum turmas equitum feſtinato miſiſſet, Demetrium hoc ipſum metuentem jam in regno miſſi invenerant, fruſtraque omnia conati ad Regem ſuum reverſi ſunt. Idem ibidem.

Anno A. C. 128. V. R. 626. Seleuc. 184. Arſac. vero 128. currente ab autumno anni ſuperioris: Phrahates cum inferre bellum in ultionem tentati ab Antiocho Parthici regni Syriæ ſtatuiſſet, Scytharum motibus ad ſua defen[illegible]anda re-

jam, anno ſuperiore ſcilicet (ante Chriſtum 129.) bello ſuperveniſſent, & calumniâ tardius lati auxilii mercede fraudarentur; dolentes tantum iis itineris fruſtra emenſum, ſuperbo reſponſo (Phrahatis) offenſi, fines Parthorum vaſtare cœperunt. Igitur Phrahates cum adverſus eos proficiſceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum quendam pueritiæ ſibi flore conciliatum. Ipſe autem Phrahates exercitum Græcorum, quem bello Antiochi captum ſuperbè crudeliterque tractaverat, in bellum ſecum duxit. At Græci cum inclinatam Parthorum aciem vidiſſent, arma ad hoſtes transtulere, & diu cupitam ultionem, exercitûs Parthici, & ipſius Phrahatis Regis cruenta cæde executi ſunt. Idem ibidem.

In hujus locum Artabanus patruus ejus, id eſt, frater Mithridatis I. filius Phrapatis Rex conſtituitur; (à Parthis nempe, qui in veram & antiquam Parthiam ſe receperant.) Idem ibidem.

Anno *A.C.* 127. V.C. 627. Seleuc. 185. Arſac. 129. *Scythæ contenti victoria depopulata Parthia* (provinciis Parthorum imperio ſubditis) *in patriam revertuntur*. Interim alii Scythæ Græcos Bactrianæ, quibus jam libertas adempta fuerat à Parthis, internecione delent. Strabo lib. XI. pag. 511. *de Scythis Nomadibus* maxime innotuerunt, qui Græcis Bactrianam ademerunt *Aſii* Græce Πασίανοι (emenda Ἢ Ἀσιανοὶ *vel Aſiani*) & Tochari & Sacarauli (vel Sacauraci) Trog. Prolog. lib. 41. *deinde quo repugnante* (emenda *quo rege pugnante*) *Scythicæ gentes* (Tochari) Sarancæ & Aſiani *Bactra occupavere & Sogdianos*. Qui autem appellantur hic Sarancæ (mallem Sacarancæ) nominantur apud Strabonem Sacaraulæ (mallem Sacarancæ.)

Interim diſſipatis provinciis imperii Parthici tyranni exoriuntur. Himerus qui tyrannica crudelitate oblitus vitæ præteritæ (Catamitus fuerat) & vicarii officii tyrannidem & regiam poteſtatem affectavit, *Babylonios multasque alias civitates importunè vexavit*. Juſtin. Epit. lib. 42. Trogi, & in ejusdem lib. Prolog. præfectus Parthis a Phrahate Himerus Miſenis (in inſula Tigridis) rebellantibus *bellum intulit, & in Babylonios & Seleucienſes ſæviit*. Ita hunc locum corru-

tyrannidem & ſupremam poteſtatem arripuit ſaltem in majori parte imperii Parthici. Diodorus Siculus in excerptis Peireſcianis ſeu Valeſianis pag. 377. Euhemerus Parthorum Rex, patria Hyrcanus, cunctos tyrannos acerbitate vincens, nullum ſævitiæ genus prætermiſit; plurimos enim Babylonios levibus de cauſis ſervituti addictos cum omni familiâ in Mediam diſtrahendos mittit. Forum quoque & nonnulla delubra urbis Babyloniorum igni tradidit ac pulcherrima quæque urbis loca evertit: Immo Poſidonius lib. 16. Hiſtor. apud Athenæum lib. XI. pag. 464. aſſeverat; Himerum tyrannidem obtinuiſſe apud Babylonios & Seleucienſes; *narrat*, inquam, *Lyſimachum ad cœnam vocaſſe Himerum, qui non modo Babyloniorum, verum & Seleucienſium tyrannus erat.*

Anno A. C. 125. circum circa V. R. 629. Seleuc. $\frac{187}{188}$ Arſac. $\frac{131}{132}$ *Artabanus non diu regno potitus* (Parthico), *cum bellum Tocharis, qui Græcis Bactrianam abſtulerant, intuliſſet, in brachio vulneratus deceſſit.* Epit. Trogi lib. 42. Quo anno, vel quomodo Himerus tyrannus interierit, quod ſciam non reperitur.

Artabano 2. defuncto Mithridates filius ſuccedit, cui res geſtæ *Magni* cognomen dedere; quippe claritatem parentum, æmulatione virtutis accenſus, animi magnitudine ſupergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute geſſit, multosque populos *Parthico Regno addidit*, (id eſt populos, qui poſt Scythicam cladem ſeceſſerant à Parthis) ſed & cum Scythis antea invictis proſpere aliquoties dimicavit, ultorque injuriæ parentum fuit (Phrahatis conſobrini & Artabani à Scythis interempti.) Epit. Trogi lib. 42. A Tigrane ſeniore Rege Armeniæ filium Tigranem obſidem accepit.

Anno A. C. 95. V. R. 659. Seleuc. $\frac{212}{213}$. Arſac. $\frac{161}{162}$. *Mithridates cognomine Magnus Armenis bellum intulit.* prolog. lib. 42. Trogi. Tigrane enim Seniore mortuo, Tigranem juniorem ſpreverant tunc apud Parthos obſidem, in regnum vi & armis Parthi reſtituunt hoc anno; ut colligitur ex anno regni 25. (*Cujus ex Plutarchi Lucullo mentio fit ad annum mundi* 3934. *A. C.* 70. apud Uſſerium in annal.) *Tigranes rex Armeniæ*

in Syriacis pag. 118. Strabo vero lib. XI. pag. 533. ait: *Varia fortuna usus est hic Tigranes. Initio obses apud Parthos fuit deinde ab iis in patriam restitutus, cum mercedis loco septuaginta convalles Armeniæ accepissent.* „ Ab Artaxio Rege Armeniæ Majoris „ (sub Antiocho Magno) prognatus fuit Tigranes, posse- „ ditque eam, quæ proprie dicitur, Armeniam, contiguam „ Mediæ, Albaniæ & Iberiæ, & pertingentem usque ad Col- „ chidem atque Cappadociam ad Euxinum mare sitam. „ A Zariadre vero originem duxit Artanes Sophenus, austri- „ nas partes & quæ magis occasum spectant tenens: hoc Ti- „ granes oppresso in suam omnia redegit potestatem. Idem „ Strabo ibidem.

Anno 662. V.R. *A. C.* 92. Antiochus Eusebes Seleucida, qui a consobrinis Philippo & Demetrio cognomine Eucæro victus fugatusque, non ita pridem ad aulam Mithridatis regis confugerat, ab exercitu Parthorum reducitur in Syriam, cujus partem cum Antiochia urbe occupat. Eodem anno *A. C.* 92. Seleuc. 209. labente, & Arsac. 164. *dum Sylla Asiæ Prætor res sociorum ad Euphratem constitueret, Orobazus legatus Arsacis* (Mithridatis Magni) eodem venit, petitum primam inter Romanos & Parthos societatem, quod facile impetravit, sed cum medium locum Sullæ cessisset, Orobazo Rex Parthorum indignatus legatum istum supremo supplicio affecit. Hæc narrat Plutarchus invita Sullæ, qui hoc anno Asiam Prætor rexit.

Anno *A.C.* 91. V. R. 663. dum Demetrius fratrem suum perfidum Philippum in urbe Berœa Syriæ obsidet, Straton tyrannus Philippi socius Zizum principem Arabum excivit, & Mithridatem Sinacem præfectum Parthorum, (in Mesopotamia ut colligo) qui postquam venerunt cum magno exercitu, Demetrij castra oppugnaverunt, & tam siti quam missilium telorum multitudine deditionem cum suis facere coegerunt, abductaque ex ea regione præda maxima Demetrium captivum ad Mithridatem Magnum Parthorum Regem miserunt. Parthus vero Rex Demetrium apud se in omni honore habuit, donec ibi morbo absumptus est. Joseph. Antiq. [illegible]. cap. 22.

cum altero Mithridate, filio Phrahatis Dei, parricida, & fratre Orodis peſſime confundit Epitomator Trogi, Juſtinus, qui procul dubio exemplaribus authoris ſui mancis & mutilis uſus eſt, quod ex Prologo lib. 42. ejuſdem Trogi patet, ubi diſerte ſcribitur, poſt obitum Mithridatis Magni *varia complurium Regum in Parthis ſucceſſione imperium accepiſſe Orodem, qui Craſſum delevit.* Igitur Trogus nequaquam arbitratus eſt, Orodem fuiſſe fratrem & proximum ſucceſſorem Mithridatis Magni: non immerito itaque integrum Trogi ipſius opus hiſtoria deſiderat. Etenim ingentes lacunas in Juſtino deprehenderunt jam viri eruditiſſimi, & quidem Meurſius lib. 1. de Archontibus Athenienſibus immanem defectum indicat hoc loco libri 2. Epitomes. *Poſt Codrum nemo Athenis regnavit, quod memoriæ ejus tributum eſt. Adminiſtratio Reipublicæ annuis magiſtratibus permiſſa.* Excidit illic, (inquit Meurſius) aut a mutilatore omiſſa eſt narratio de Archontibus perpetuis tredecim, decennalibusque ſeptem: poſt quos demum annui eſſe cœperunt.

Poſt obitum Mithridatis, bellis civilibus inter Parthos exortis, eorum corruit imperium. His enim temporibus imminuta *Parthorum potentia ob civilia & finitima bella ne Armeniorum quidem valebant propulſare inſultus.* Plutarchus in Lucullo pag. 517. *A.*

Tigranes viribus auctus ſeptuaginta convalles Armeniæ (quas Mithridati Magno conceſſerat) recuperavit. ex Strabone pag. 532.

Anno *A. C.* 89. V. R. 665. Seleuc. $\frac{225}{4}$. Arſac. $\frac{167}{168}$. Tigranes Parthorum ditionem populatus eſt, quæ circa Ninum eſt & Arbela. Subditos etiam habuit ſibi Atropatenos (Medos) & Gordyæos, cum quibus Meſopotamiam vi occupavit. Strabo lib. XI. pag. 532. A tenui & contemptâ exorſus ſpe, multas gentes in ditionem ſuam redegit, Parthorumque ut nullus alius imperium obtrivit. Plutarchus in Lucullo pag. 505. Immo Parthis Aſiam adimit. Idem ibidem pag. 500. C.

Anno *A.* C. 88. V. R. 666. Seleuc. $\frac{224}{5}$ Arſac. $\frac{168}{169}$ Tigranes etiam transmiſſo Euphrate Syriam ac Phœnicem v.

præterea ex loco vivendi consueto Arabas Scenitas, eosque traduxit; & propius locat. (in Mesopotamiâ nempe finitimâ Armeniæ) Reges serviebant ei multi; quatuor autem habebat in comitatu suo apparitorum vel satellitum loco. Plutarchus in Lucullo pag. 506. Tres Reges satellites Tigranis novimus ex eodem Plutarcho, scilicet Mediæ, Gordianæ, Adiabenæ, quartum ignoramus.

Inter tot clades & tumultus Parthici imperii reliquiis præficitur senex quidam nomine *Mnaskires*; cujus meminit Lucianus in Macrobiis: istum autem Mnaskirem his saltem annis Parthis imperitasse, ideo mihi persuasum habeo, quod a primo Arsace ad Mithridatem Magnum, & a Sinatrocce Phrahateque cognomine Deo continuam & certissimam Regum Arsacidarum seriem habeamus: Mnaskires igitur unus est è compluribus illis regibus, quorum variâ successione imperium devenit ad Orodem, qui Crassum delevit. Mnaskires vero sex & nonaginta annos vixit, teste Luciano in Macrobiis.

Anno *A.* C. 77. V. C. 677. apud Parthos regnare cœpit Sanatrucus seu Sinatrockes à Sacarancis seu Sacauracis Scythis reductus ab exilio; regnare incepit annos jam natus octoginta. Lucianus ibidem.

Anno *A.* C. 72. V. R. 682. circum circa Seleuc. $\frac{240}{241}$ Arsac. $\frac{184}{185}$. Sinatrockus jam grandævus, cum regno & exercitibus præfecisset filium Phrahatem, Phrahates bellum contra Tigranem aggreditur, ut provincias, quæ sub Parthis fuerant, recuperaret. Sed infausto eventu, Armenis prævalentibus. Hujus belli meminit licet obscure Metridates Ponticus litteris ad Arsacem seu Phrahatem. Inter frag. lib. 4. hist. Salustij.

Anno *A.* C. 70. V. R. 684. Seleuc. $\frac{242}{243}$. Arsac. $\frac{186}{187}$. tertio Olympiadis 177 Sinatrocce Parthorum rege mortuo, succedit Phrahates cognomine *Deus*. Phlegon apud Photium. Cui licet Dio contradicat, Phlegontis tamen potior est authoritas. Dio quidem in Romanis rebus scriptor accuratissimus fuit, in barbaris vero præcipue Parthicis & Ar-

[illegible] Hunc Phrahatem absurde Pacorum

Hoc anno Tigranes exercitibus vacuam reliquit Syriam, quam placidiſſimo imperio tenuerat per annos 18. teſte Trogo, licet regni Syriaci Tigrani ſolum annos 14. tribuat Appianus. Errat Appianus, nec pili facienda ejus authoritas, ſi cum nobiliſſimo hiſtorico Trogo comparetur.

Anno *A.* C. 69. V. R. 685. Seleuc. $\frac{243}{244}$ Arſac. $\frac{187}{188}$ quarto vero Olympiadis 177 anno, Tigranes, qui modo Syriam deſeruerat, & Mithridates victi ſunt cum Lucullo dimicantes. *Memnon apud Photium Codice* 60. Hic etiam regis Parthorum legati eum adierant, amicitiam & ſocietatem petentes. Fuit id Lucullo haud ingratum, qui invicem ſuos miſit ad Parthum. *Plutarchus in Lucullo pag.* 512. Mithridates autem ad Tigranem reverſus fiduciam ei addit; omnia Mithridati permittit; ipſe interim legatione ad Parthum Phrahatem miſſa, Meſopotamiam & Adiabenen, & magnas, quas nominant, id eſt 70. valles ditioni ejus cedere offerens; cumque etiam ad Parthum Luculli legati veniſſent, Romanis ſeorſum amicum ſe fingit eſſe, ſeorſum etiam eadem ad Armenium ſimulat. *Memnon ibidem.* Mithridates ſcribit ad Arſacem Phrahatem epiſtolam, quæ extat inter fragmenta Saluſtiana. Legati Luculli compererunt Parthum fluctuantem conſilio, petentemque clam ſocietatis a Tigrane præmium, Meſopotamiam; quæ ubi Lucullus percepit Tigranem & Mithridatem ſtatuit ut adverſarios confectos tranſilire, & periclitari Parthorum vires, atque expeditionem in eos movere; præclarum exiſtimans uno belli impetu tres deinceps Reges, ſicut athletam in lucta proſternere. Hanc expeditionem ſuſcipere renuentibus militibus, expeditionem Parthicam depoſuit, & media æſtate movit in Tigranem, quem ſuperat cum ſociis regibus. *Plutarch. in Lucullo pag.* 513. Et Armeniam cepit Lucullus.

Anno *A.* C. 68. V. R. 686. Arſac. currente 187. Lucullus Niſibin ſive Antiochiam Mygdonicam capit.

Anno *A.* C. 67. V. C. 687. Lucullo imperium abrogatur, cui ſufficitur Pompejus piratarum victor.

Anno *A.* C. 66. V. R. 688. Seleuc. 247. Arſac. 191. Pompejus

bus celeriter a Pompejo præoccupatum ad invadendam Tigranis Armeniam impelli percepit, animo collapſus legatos ad Pompejum miſit, qui de conditionibus pacis agerent. *Dio lib.* 36. *pag.* 22. Sed re infecta revertuntur.

Tigranes Junior interim primoribus ſibi adjunctis Senioris Tigranis imperio offenſis ad Phrahatem fugerat, eumque circumſpicientem pro ratione initi cum Pompejo fœderis, quid agendum foret, ut in Armeniam iret, permoverat, cum jam obviis omnibus ſubactis aggrederentur Phrahates & Tigranes Artaxatem. Nam eorum metu Tigranes ſenex in montes receſſerat. Phrahates cum obſidionem diuturnam fore cenſeret, filio Tigranis partem copiarum reliquit, ipſe domum ſe recepit. Tigranes pater in filium ſolum relictum profectus, prælio eum vicit; atque is fuga ad avum Mithridatem ſe contulit: *Dio lib*, 36. *pag.* 25. *D.*

Deinde in Armenia Pompejus exercitum Mithridatis in tenebris adortus eſt, & profligavit. *Dio pag.* 24. & *Plutarch. in Pompejo pag.* 36. Cum multis aliis Mithridates ipſe effugit, & ad Tigranem contendens, cum ab eo per legatos compellato nullum amicum reſponſum tuliſſet, ſpe fruſtratus abiit in Colchidem. *Dio ibidem.* Mox Tigranes Junior ad Romanos ſe adjunxit. Tigranes pater re cognitâ territus, ſtatim præconem ad Pompejum miſit, Artaxatas urbem ei dedit, ſponte in caſtra Pompeij advenit. *Dio pag.* 25. D. Pompejus ei omne avitum regnum reſtituit, filio Sophenen ſolam tribuit, paulo poſt contumacem juniorem Tigranem in vincula conjecit. *Dio ibidem. Plutarch. in vita Pompeij pag.* 638. Inde in vincula conjectus, atque ad triumphum ſervatus eſt.

Haud multò poſt Parthus Phrahates legatos miſit, adoleſcentem Tigranem generum ſuum, repetitum & poſtulatum, utque imperiorum terminus Euphrates eſſet. Pompejus reſponſum dedit, filium in patris potius quam ſoceri eſſe poteſtate, terminumque imperiis ſtatuturum juſtum.

Anno *A.*C. 65. V. R. 689. Seleuc. $\frac{2}{2}\frac{4}{4}\frac{7}{8}$ Arſac. $\frac{1}{1}\frac{9}{9}\frac{1}{2}$ Pompejus relicto ad præſidium Armeniæ Afranio, per gentes

rem, Elymæorum & Medorum regibus acerrime contra Parthos libertatem tuentes, qui legatos ad eum miserant benigne rescripsit. Parthum Gordyenem incursantem & Tigranis subditos vastantem, misso cum exercitu Afranio, expulit insectatusque est usque ad Arbelitin. *Plutarch. pag.* 638. *C. Dio lib.* 37. *pag.* 31. Phrahates cum tanto impetu Pompejum ferri videret, Armeniam & Ponti partes captas: Gabinium quoque jam ultra Euphratem ad Tigrim usque processisse, eorum terrore perculsus, ut fœdus initum cum Romano firmaret, in animum induxit, deque pactis renovandis ad Pompejum legatos misit, nihil tamen ea legatione assecutus est. Pompejus eum parvi pendebat, Gordyenem quoque regionem, de quâ Phrahati erat cum Tigrane controversia, poscebat. Afranium in eam regionem ablegavit, eamque nullo labore occupatam Tigrani dedit. Afranius per Mesopotamiam in Syriam præter pactum cum Phrahate initum proficiscens periisset, nisi eum Carreni Macedonum coloni suscepissent, & eduxissent. (pag. 32.) Phrahates licet Rex Regum appellaretur; Pompejus, voce *Regum* a titulo amputata, per literas ipsum Regem simpliciter appellavit. Confer *Plutarch. pag.* 636. *C.* Nec Parthum rescribens voluit, in aliorum Regum gratiam, Regem Regum sicut cæteri appellare. *Dio pag.* 31. Phrahates indigne tulit, interdixitque, ne exercitus Romanus Euphratem transiret: (Mesopotamiâ in Syriam) deinde Afranius Arabas, qui regionem circa Amanum montem prope Euphratem incolebant, subjugavit. *Plutarchus pag.* 636. E. Hos eodem transtulerat Tigranes & in Mesopotamiam. *Plutarch. in vitâ Luculli pag.* 506. *C.* Arabia hæc ad lævam Euphratis trans fluvium dicitur, *Plinio lib.* 5. *cap.* 24. Arabia Moreon, seu potius *Oreon*, ut restituit Harduinus.

Anno 690. V. C. *A.* C. 64. Seleuc. $\frac{2}{2}\frac{4}{4}\frac{8}{9}$ Arsac. $\frac{1}{1}\frac{9}{9}\frac{2}{3}$. dum Pompejus in Syria occupatur, Phrahates contra Tigranem expeditionem fecit. *Dio pag.* 32. Apud quem hæc præterea leguntur: *adhibito filio ejus* (Tigranis) *suo genero.* Hæc absurda prorsus sunt, nam quî fieri potest, ut Tigranes junior, quem

vix hæc verba nobiliſſimo ſcriptori tribuere auſim, ſed aſſutam laciniam ab inepto ſcholiaſta, lubentiſſime crediderim. Phrahates prælio victus a Tigrane, poſtea prævaluit. (*Dio*) Tigranes auxilium a Pompejo petit, eoque cunctante reges duo invicem paciſcuntur. Ex *Dione* & *Appiano in Mithridaticis*.

Pompejus, licet multis incitantibus, bellum Parthicum ſuſcipere renuit. *Dio pag.* 32. Potentiam enim Parthorum metuebat, verum quod Partho lis cum Tigrane de limitibus quibusdam intercederet dixit, ſe miſſurum tres viros, qui eam dijudicarent; atque eos quidem miſit: hisque reges tanquam revera arbitris acceptis omnem ipſi inter ſe controverſiam compoſuerunt.

Phrahates cum imperio Parthico priſtinum decus reſtituiſſet, à ſubditis appellatus eſt Deus, ὁ Θεός.

Anno autem A. C. 61. V. C. 693. Seleuc. $\frac{2}{7}\frac{5}{5}\frac{1}{2}$ Arſac. $\frac{1}{1}\frac{9}{9}\frac{5}{6}$. circiter, poſtquam Pompejus Romam ex Aſiâ reverſus eſt, Phrahates Rex à filiis per dolum occiditur.

Mithridates ſenior parricidarum ſuccedit parenti ex *Trogo* & *Appiano*: hic fœdè hallucinatur Dio ſeu Xiphilinus epitomator; nam aſſerit Orodem in regno patri ſucceſſiſſe, fratremque è Mediâ, cui imperabat, expuliſſe, quod falſum eſt: nam Media tunc reges habebat ex priſci Atropatis, ſatrapæ Darii, ſanguine ortos, non ex Arſacidis. Confundit hic breviarii Dionis ſcriptor Mithridatem Arſacidam cum alio Mithridate Atropatidâ, genero Tigranis ſeu ſervo potius, qui rex Mediæ erat, quo tempore Lucullus & Pompejus bellum cum Tigrane & Mithridate geſſerunt. De hoc Mediæ rege mentio fit apud *Dionem ipſum in frag. lib.* 35. *pag.* 6. *littera C.* Media, quæ Mithridati parebat, erat Media minor; nam major nulli principi parebat præterquam regi Parthorum, qui in urbe regia Mediæ Ecbatanis plerumque æſtatem tranſigere ſolebat.

Hoc circiter tempore Tigranes rex Armeniæ morbo periit annos natus 85. ut ſcribit *Lucianus in Macrobiis*. Tigrani ſucceſſit filius Artavazdes, qui & appellatur Artabazes, Artabaſdes, Artuaſdes & Ortoadiſtes, ſeu potius Artoadiſtes,

Anno *A.* C. 58. V. R. 696. $\frac{2}{2}\frac{5}{5}\frac{4}{5}$. Seleuc. Arſac. $\frac{1}{1}\frac{9}{9}\frac{8}{3}$. Mithridates Rex Parthorum Orthoadiſti ſeu Artauaſdi Regi Armeniorum bellum intulit. *Ep. Trog. lib.* 42.

Anno *A.* C. 57. V. R. 697. Seleuc. $\frac{2}{2}\frac{5}{5}\frac{5}{6}$. Arſac. $\frac{1}{2}\frac{9}{0}\frac{9}{0}$. Mithridates Rex Parthorum poſt bellum Armeniæ propter crudelitatem à Senatu Parthico regno pellitur. Orodes regnum vacans occupat. *Ep. Trog. lib.* 42. Poſt quam Pompejus Syriam redegit in provinciam, Gabinius à Senatu ad eam regendam Proconſul miſſus eſt hoc anno 697. Ad hunc parantem expeditionem in Arabas venit Mithridates Parthorum Rex pulſus ab Orode fratre invitans, ut Arabas omitteret, & contra Parthos duceret exercitum. *Appianus initio Parthicorum.*

Anno *A.* C. 56. V. R. 698. Seleuc. $\frac{2}{2}\frac{5}{5}\frac{6}{7}$. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{0}{0}\frac{0}{1}$. Gabinio paranti expeditionem in Parthos, & jam Euphratem trajicienti, mutata ſententia, viſum eſt Ptolemæum in Ægyptum reducere. *Joſeph. Antiq. lib.* 14. *Cap.* 11. *& App. in Syr. pag.* 220. Ptolemæus Rex Ægypti undecimus & ipſe pulſus à ſuis, magnis largitionibus obtinuit; ut omiſſo Partho per proconſulem reduceretur Alexandriam. *Dio lib.* 39. *pag.* 116. Mithridates ad Gabinium confugiens permovit, ut ſe in reditu adjuvaret. Sed ſimul Ptolemæus cum litteris Pompeji advenit, magnumque præmium Gabinio pollicitus eſt; ſtatim Gabinius Parthico negotio omiſſo in Ægyptum contendit, hanc ſubegit, & reſtituit Ptolemæum regem.

Anno *A.* C. 55. V. R. 699. Seleuc. $\frac{2}{2}\frac{5}{5}\frac{7}{8}$. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{0}{0}\frac{1}{2}$. Gabinius ex Ægypto reverſus verna tempeſtate ſe à Senatu exilio damnatum cum audiiſſet, de Parthica expeditione ſuſcipienda deſperans, Mithridatem & Orſanem Parthos exules remiſit, ſparſo rumore quod aufugiſſent ab eo. *Joſeph. Antiq. L.* 14. *C.* 8. Mithridates ad Arabas venit, qui Meſopotamiam ſcilicet incolebant; illuc enim adduxerat eos colonos Tigranes; vicini erant Seleucienſium & Babyloniorum, qui partibus Mithridatis favebant : Mithridates vero ope Arabum ſuum regnum recepit. *Appian. in Syr. pag.* 120.

Anno *A.* C. 54. V. R. 700. Seleuc. $\frac{2}{2}\frac{5}{5}\frac{5}{3}$. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{0}{0}\frac{2}{3}$. Si

reduxit ſub finem hujuſce anni, qui in murum hujus urbis Mithridati addictæ evaſit primus ; hoſtesque exinde ſua manu pepulit. *Plutarch. in vita Craſſi pag.* 556. B. Interim Craſſus adverſus Parthos venit in Meſopotamiam : in eo primo impingere viſus eſt Craſſus, quod cum progrediendum ultra , & Babylon eſſet tentanda Seleuciaque , Parthis ſemper infeſtæ urbes, ſpatium dederit hoſtibus ad ſe inſtruendos. *Plutarch. in Craſſ. pag.* 553. Aliquot oppidis captis nullo fere reſiſtente, cum Parthi civilibus bellis occupati eſſent, Craſſus ad expilandam Syriam reverſus eſt. Interim cum Orodes Babylonem , quo Mithridates confugerat, diu obſediſſet, fame coactos ad deditionem oppidanos compellit: Mithridates autem fiducia cognationis ultro ſe in poteſtatem Orodis tradit , ſed Orodes plus hoſtem quam fratrem cogitans in conſpectu ſuo trucidari eum juſſit. *Ep. Trogi Lib.* 42.

Anno *A.* C. 53. V. R. 701. Seleuc. $\frac{250}{260}$. Arſac. $\frac{203}{204}$. Mithridate, hoc anno ineunte vel labente ſuperiore, occiſo bella civilia Parthica ſopita fuere, & poſt hæc bellum cum Romanis geſſit Horodes, Craſſumque Imperatorem cum filio & omni exercitu Romano delevit. *Epit. Tr. lib.* 42. *confer Dionem. Joſeph. Appian. Plutarch. in Craſſo.* In urbem Antiochiam Margianes Orodes Romanos Craſſiana clade captos deduxit. *Plin. lib.* 6. *Cap.* 16. & ex eo *Solinus Polyhiſtor Cap.* 48. Hic quidem & etiam alibi apud Parthos milites illi ſedes & domicilium collocarunt. Horum meminit *Horatius Carm. lib.* 3. *Od.* 5. his verbis;

Milesne Craſſi conjuge barbara
Turpis maritus vixit ? & hoſtium
Conſenuit ſocerorum in armis,
Sub rego Medo, Marſus, & Appulus &c.

Regem vero Medum non alium eſſe à Partho eo loci liquet. Geſta hæc fuere media æſtate, teſte *Dione lib.* 40. & quidem menſe Junio ex Faſtis Ovidii. Surenas tantiſper ab Orode occiditur.

Anno *A.* C. 52. V. R. 702. Arſac. 204. Seleuc. 260. Par-

Anno *A.* C. 51. V. R. 703. Caſſius Parthos fundit, qui Duce Oſace Antiochiam oppugnatum venerant, tribus præliis, eoſque ultra Euphratem repellit; in fuga magna authoritate Oſaces dux Parthorum vulnus accepit, eoque paucis poſt diebus interiit. Teſtis *Cicero lib.* 5. *Ep. ad Atticum pag.* 303. *edit. Stephanianæ.* Verum ſub finem hujuſce anni Pacorus cum exercitu in Syriam reverſus in Cyrrheſtica hiemavit. *Cic. lib.* 5. Ad *Attic. Ep.* 20. & 21. & *lib.* 6. *Ep.* 1.

Anno *A.* C. 50. V. C. 704. Parthi iterum Syriam invadunt, Bibulumque Proconſulem diu obſident. Parthi ſponte in patriam revertuntur; Cicero Ciliciæ Proconſul Parthos fugat, & ultra Euphratem repellit. *Idem Cicero teſtis lib.* 6. *ad Atticum Ep.* 1. & 5.

Anno *A.* C. 49. V. R. 705. bellum civile inter Pompejum & Cæſarem exortum. Parthi Pompejanarum partium fuere, & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico junctam & propter Craſſi necem, cujus filium in partibus Cæſaris eſſe audierunt. *Ep. Trog. lib.* 42.

Anno *A.* C. 47. V. R. 707. Pharnace fugiente cum Cæſar ſe ad convertenda confeſtim in Parthos arma comparaſſet, iterum quorundam in urbe ſeditionibus coortis Romam reverſus eſt. *Dio* 44. *pag.* 264. *In oratione ſub Antonij nomine.*

Anno *A.* C. 45. V. R. 709. à Vetere Antiſtio datæ litteræ pridie Kal. Januarij; cum à ſe Cæcilius Baſſus, hoſtis Cæſaris, qui Syriam abalienare tentaverat, circumſideretur, & jam teneretur, veniſſe cum maximis copiis Pacorum Parthum; ita ſibi eum (Baſſum) ereptum multis ſuis (Antiſtii) amiſſis. *Cicero ad Atticum lib.* 14. *Epiſtola* 9. *Dio vero lib.* 47. *pag.* 343. ait, Parthos in Syria non diu ſubſtitiſſe propter hyemem.

Anno A. C. 42. V. C. 712. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{14}{15}$ Parthi auxilia adverſus Cæſarem Octavianum & Antonium Caſſio & Bruto miſere. *Ep. Tr. lib.* 42. At uterque perit hoc anno. Aſia & Oriens Antonio committitur.

Anno A. C. 40. V. C. 714. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{16}{17}$ Parthi ducibus Pacoro regis Horodis filio, & Labieno Romano exule rectо-

cupant Parthi, quos soli Tyrii excluserunt. Interim direptis Hierosolymis Parthi Hyrcanum auribus mutilatum abducunt, substituto in ejus locum Antigono Aristobuli filio. Phasaelus Herodis frater ab iisdem abductus, mortem sibi veneno conscivit. Hinc Parthi superato monte Tauro, omnem Asiam obtinent, vel vastant usque ad Ephesum, & ad Hellespontum. Legendi *Appian. in Syr. & Parth. Plutarchus in vita Antonii. Joseph. Antiq. lib.* 14. *cap.* 24. & 25. De hac etiam Labieni expeditione videndus *Strabo lib.* 12. *pag.* 574. & etiam *lib.* 14. *pag.* 660. Ubi fusius agit de Hybrea, & Zenone Rhetoribus, qui soli in Asia minore, Parthis victoribus & eorundem duci Labieno cedere recusarunt.

Anno A. C. 39. V. C. 715. Arsac. $\frac{2}{2}\frac{1}{1}\frac{7}{8}$ Ventidius Legatus Antonii exercitum Parthorum ad Taurum montem profligat, exercitum Labieni extra prælium capit, Ciliciam recipit, Silonem mittit ad Pylas Amanicas, ut eas occupet, qui ibidem male accipitur à Pharnapate satrapa Parthorum. Jamjam perituris Romanis subvenit Ventidius, qui Pylis ejicit Parthos: Pharnapates vero, seu Phra Nipates apud Strabonem recedit ad montem Trapezòn dictum à similitudine mensæ, qui vallo Meleagri imminet, & flumini Oenoporæ; ibique Ventidius Satrapam Phra Nipatem (Παπάτην emenda Νιπάτην) prælio superat, & occidit; *ex Strabone lib.* 16. *cap.* 751. E Syria expellit Parthos Ventidius.

Anno A. C. 38. V. R. 716. Arsac. $\frac{2}{2}\frac{1}{1}\frac{8}{9}$. Ventidius Pacorum cum omni exercitu Parthorum, qui iterum Euphratem trajecerat, internecione delet in Syria Cyrresthica. *Dio lib.* 49. *pag.* 404. & *Ep. Tr. lib.* 42.

Anno A. C. 37. V. C. 717. Arsac. $\frac{2}{2}\frac{1}{2}\frac{9}{0}$. Horodes rex Parthorum, quum & senectus tum & luctus Pacori eum conficeret, vivus adhuc regnum Phrahati filiorum ætate maximo tradidit, qui statim fratres 29. & patrem licet moribundum interimit. *Dio lib.* 49. *pag.* 406. & *Justin. lib.* 42. *Ep. Trogi.* Horodes itaque parricidium talione luit.

Anno A. C. 36. V. C. 718. Arsac. $\frac{2}{2}\frac{2}{2}\frac{0}{1}$ M. Antonius Triumvir adversus Parthos & Medos expeditionem suscipit,

qui paulo antea profugerat ad Antonium, & poſtea dimiſſus reverſus erat ad Phrahatem; licet nonnulli (ut docet nos Plutarchus) exiſtimaverint, Monæſem iſtum etiam tunc clam Romanis faviſſe, quod tamen coætaneum Horatium fugit; affirmat enim *Carm. L. 3. Od. 6.* bis Romanos cladem non ita pridem perpeſſos eſſe à Parthis, ſemel cum eorum dux eſſet Pacorus, qui in Syria Romanum exercitum cæcidit, & iterum cum iisdem præeſſet Parthis Monæſes:

Jam bis Monæſis & Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros: & adjeciſſe prædam
Torquibus exiguis renidet.

Renidet, inquam, *manus* ſive exercitus victor Parthicus, & ut liquet, Poëta, eo loci Monæſem ducem Pacoro Imperatori coæquat.

Anno A. C. 35. V. C. 719. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{2}{2}\frac{1}{2}$ Antonius adverſus Parthos fœdus init cum rege Medorum, cui diſſenſio cum Partho intercedebat; at nullo ſucceſſu. *Plutarch. pag.* 940. *in Antonio.*

Anno A. C. 34. V. C. 720. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{2}{2}\frac{2}{3}$ Antonius fraude captum Artnasdem regem Armeniæ vinctum duxit Alexandriam, & Armeniam ſui juris facit.

Anno A. C. 31. V. C. 723. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{2}{2}\frac{5}{6}$ Antonius Alexandriæ filium ſuum & Cleopatræ Alexandrum appellat Regem Regum, cui tribuit Armeniam cum Media & regno Parthorum, quum ſubactum foret. *Plutarch. in Antonio pag.* 941.

Mediæ rex Artavasdes initio uſus Romanorum auxilio, Parthos & Artaxem contra ſe profectos vicerat, deinde cum & Antonius ſuos milites evocaſſet belli civilis ergo, & iſtius quoque milites non reddidiſſet, viciſſim ſuperatus, in poteſtatem hoſtium venit. Ad hunc modum Armenia cum Media amiſſa eſt. *Ita Dio ſub finem lib.* 49. Mediam mox Artavasdis liberi vel hæredes recuperaverunt, eandemque Atropatidæ regebant initio imperii Tiberii Cæſaris, ut docet nos Strabo.

Hoc anno A. C. 31. V. C. 723. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{2}{2}\frac{5}{6}$ bellum civile

bus auxilium Cæsaris efflagitantibus; primum dum adhuc salvæ essent res Antonii, deinde post navalem pugnam Actiacam, quâ victus est Antonius die 3. Septembris; nil aliud Cæsar quam deliberaturum se respondit. *Dio lib.* 51. *pag.* 456.

Anno A. C. 30. V. C. 724. Arsac. 227. sub finem hujusce anni Juliani cum Cæsar Ægypto capta, mortuis Antonio & Cleopatra, in Asia hybernaret, negotium cum Parthis composuit: cum enim Tiridates ab hoste victus in Syriam confugisset, legatos Phrahates ad Cæsarem misit; iis amice respondit Cæsar, ac Tiridati auxilium quidem nullum promisit; ut tamen in Syriâ versaretur, concessit. *Dio lib.* 51. *pag.* 456.

Phrahates victoria insolentior redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium à populo suo pellitur. *Ep. Trogi. lib.*42. Parthi Tiridatem Regem constituunt, quem è Syria advocant.

Itaque cum Phrahates magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur: Regis Scytharum Tiridati infensi meminit Horatius Od. 26. lib. 1.

. . . . *Quis sub arcto*
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridatem terreat, unice
Securus. . . . . .

Tiridates vero cum magna amicorum manu ad Cæsarem in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem (Anno *A.* C. 24. V. R. 730.) profugit, obsidem Cæsari minimum filium Phrahatis offerens, quem negligentius custoditum rapuerat; Ita *Trogi Epit. lib.* 42. Horatius *Carm. lib.* 1. *Od.* 26. meminit hujus Tiridatis, cujus exilii mentionem facit Isidorus Characenus *in Parthicis Stathmis*; at non satis accuratè scribit Epitomator Justinus; Tiridatem profugisse in Hispaniam ad Cæsarem bellum tunc temporis gerentem. Nam Cæsar nondum

Medus (id est Parthus) *infestus Romanis sibi luctuosis*
Dissidet armis:
Servit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena.

Anno *A.* C. 23. V. R. 731. filium Phrahatis à Tiridate beneficii loco acceptum, Romam adduxit Cæsar, & obsidis loco habuit, quæ tamen referre videtur Dio ad annum 734. sed istud ordine præpostero relatum à Dione dubium non est. Quo cognito, Phrahates legatos statim mittit ad Cæsarem servum suum Tiridatem, & filium sibi remitti postulat. Cæsar & legatione Phrahatis audita, & Tiridatis postulatis cognitis, neque Tiridatem daturum se Parthis dixit, neque adversus Parthos Tiridati auxilium daturum. Phrahati filium sine pretio remisit, & Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum præberi jussit. *Ep. Trogi lib.* 42. Quum Tiridates ac legati à Phrahate Romam advenissent, Tiridatem Phrahati non tradidit, filium tamen Phrahatis, quem prius ab illo acceperat, patri remisit, ut pro eo signa & captivos amissos cladibus Crassi & Antonii reciperet. *Dio sub finem lib.* 53. Attamen promissis non stetere Parthi.

Anno *A.* C. 20. V. R. 734. Artaxias Rex Armeniæ a propinquis dolo occisus est. Tiberius postea Imperator cum legionibus Tigranem Artaxiæ fratrem minorem Regem Armenis à Cæsare datum induxit. Tunc Phrahates Parthorum Rex Augusto Asiam lustranti erepta ante 34. annos signa Romana captivosque remisit. Ita omnes consentiunt historici, excepto Velleio, qui in multis peccat: perpetuus ad nauseam usque Tiberii adulator. Pari assentatione poëta Horatius Epist. 12. Lib. 1. Romanorum principum trophæa celebrat:

Cantaber, Agrippæ: Claudi virtute Neronis (Tiberii)
Armenius cecidit; jus imperiumque Phrahates
Cæsaris accepit genibus minor.

. . . Cantabrica bella tuliſti
Sub duce (Auguſto) *qui templis Parthorum ſigna refixit:*
Et nunc, ſi quid abeſt, Italis adjudicat armis.

Tigranis diuturnum in Armenia regnum non fuit, eoque exauthorato, regem creavit Auguſtus Artavazdem filium, ut conjicio, Artaxiæ.

Anno *A.* C. circiter 12. V. R. 742. Arſac. 244. vel 245. bellum parabant Romani contra Parthos & Arabas. Teſtis Horatius Od. 29. lib. 1. ad Iccium, ſic enim eum ſuggillat:

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis: & acrem militiam paras:
Non ante devictis Sabeæ
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas. . . . . .

. . . . . Quis neget arduis
Pronos relabi poſſe rivos
Montibus, & Tiberim reverti;
Cum tu coëmptos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Quæ ad ſuperiora bella contra Parthos, Armenos & Arabas geſta ante finem anni 734. pertinere nequeunt, nam tunc Iccius in Sicilia, ubi fructus Agrippæ colligebat, adhuc tempus conſumebat ferme in philoſophicis ſtudiis. Verum jam tum Claudii virtute Neronis Armenius ceciderat:

. . . . jus imperiumque Phrahates
Cæſaris accepit genibus.

Ut aſſerit Horatius Ep. XII. lib. 1. Attamen res, quomodo enarramus, absque armis & ſine pugna fuere compoſitæ. Nam Phrahates, ut narrat Strabo Lib. 16. pag. 748. vocato in

Marmore apud Gruterum) Phrahatem & Vononem, duas eorum uxores & filios quatuor docet nos Joſephus Antiq.Lib. 16. Cap. 12. & 13. Titium præſidem rexiſſe Syriam, poſtquam Agrippa ex Oriente Romam reverſus eſt, id eſt, poſt annum 741. & antequam Saturninus eandem Syriam regeret legatus Auguſti : falſum eſt itaque, ſi graviſſimo ſcriptori Strabǫni Cappadoci & Parthis Armenisque vicino nec non coævo fidem adhibeamus, Phrahatem obſides dediſſe filios Romanis metu Tiberii, cum in Armeniam Regem deduxit Tigranem, quod tamen aſſerit adulator Tiberii Vellejus. De his obſidibus datis à Phrahate omnino legendus Joſephus Antiq. lib. 18. C. 3. ſua etenim adhuc mutuat à nobiliſſimo hiſtorico Nicolao Damaſceno ; ideo omni fide dignus.

Anno *A.* Æram C. 3. V. C. 751. Arſac. 254. Armenia impulſu Phrahatis defecit à Romanis, exacto Rege Artavaſde, cui ſuffectus à Parthis Tigranes filius Tigranis Regis. Artavaſdem vero non ſine Romanorum clade dejectum ſcribit Tacitus lib. 2. initio.

Anno V. C. 752. & ante Æram Chriſti 2. Armeniacum & Parthicum bellum Cajo Cæſari committitur, & inchoatur. Phrahates legatos anno 1. ante æram Chr. ad Auguſtum mittit; huic Cæſar Regis Regum titulum denegat, indignatur Parthus, Auguſto reſcribit ipſum Cæſarem tantum appellans : at paulo poſt Phrahates in gratiam redit cum Romanis, ea conditione, ut Armenia cedat: Tigranes vero Armenus ad Cæſarem nullam tunc legationem miſit. Dio in excerptis Valeſianis. Liber vero Dionis 55. non habetur niſi mancus, mutilus & depravatiſſimus.

Anno æræ Chriſtianæ 1. V. R. 754. Arſac. $\frac{256}{257}$. Cajus Cæſar cum Phrahate Rege in inſula Euphratis in colloquium venit. Eo tempore Lollij ducis exercitus Romani perfidia per Parthum divulgata, in Lollium iratus Cajus exautorat eum, paulo poſt ſumpto veneno, ſi Plinio fides Lib. 9. Cap. 35. periit Lollius.

Anno æræ Chr. 2. V. R. 755. Arſac. 257. Cajus Cæſar

Anno Ær. Chr. 4. V. R. 757. Phrahates legatos mittit ad Auguſtum, cui cum mandata Romæ reddidiſſent, hos Parthos Tiberium quoque in Germaniam adire juſſit. Hoc autem anno provincia Germania Tiberio decreta. Ita Suetonius in Octavio Cap. 4. & Tiberio Cap. 16.

Anno Ær. Chr. 13. V. R. 766. Phrahates Rex Parthorum ab uxore olim meretrice Itala Thermuſa & ejuſdem filio Phrahatace interimitur; cum quo ſtupri conſuetudinem habuiſſe credita eſt; ergo parricidio ſimul & inceſto exoſus popularibus Phrahataces priusquam potens ſeu magnus evadere poſſet, imperio privatus, pulſus populari ſeditione periit. Joſeph. Lib. 18. Cap. 3. Itaque breviſſimo tempore rerum potitus eſt. Huic cum Primores Parthorum ſuffeciſſent Orodem, iſte inviſus multitudini propter nimiam crudelitatem brevi interemptus eſt.

Anno *A.* C. Chr. 14. V. R. 767. Arſac. 269. Parthi legatos ad Cæſarem Auguſtum mittunt, ut unum ex Phrahatis filiis obſidibus Regem expetant; Cæſar illis concedit Vononem, qui ab ipſis hoc anno recipitur. Joſeph & Tacitus Annal. 2. initio.

Anno Chr. 15. V. R. 768. Arſac. $\frac{270}{1}$. Parthos brevis pœnitentia ſubiit, dedignabantur enim facere mandata Vononis mancipii, ſic vocabant obſidem. Dein Artabanum advocant. ex Joſeph. Tacitus vero lib. 2. *mox ſubiit pudor degeneraviſſe Parthos, jam inter provincias Romanas ſolium Arſacidarum haberi darique.* Igitur Artabanus Arſacidarum è ſanguine apud Dahas adultus excitur, primoque congreſſu victus, reparat vires, regnoque potitur. Idem fere narrat Joſephus. Addit è Mediâ accitum Artabanum, Vononemque victum in urbem Seleuciam primo confugiſſe, deinde in Armeniam; Artabanum vero cum victricibus copiis in urbem Cteſiphontem ſe recepiſſe. In hoc autem erravit, quod Artabanum Regem Mediæ fuiſſe aſſerit; nam tunc temporis, Strabone teſte, Media ſuis priſcis| Atropatidis parebat. *Vononi perfugium Armenia fuit vacua tunc.* Tacit. lib. 2. Annal. Ariobarzane enim morte fortuitâ aſſumpto, cum ſtirpem ejus haud toleraverint, tentatoque fœmineo imperio, cui nomen E-

Anno Ær. Chr. 16. V. R. 769. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{7}{7}\frac{1}{2}$. Vonones Romam miſit legatos de regno Armeniæ: at à Tiberio repulſam paſſus eſt: minis Artabani territus Armeniam reliquit, & in Syriam ſeceſſit. Hoc anno Silanus legatus Auguſti eum in Syriâ excipit, ſed cuſtodiam dat. Tacitus & Joſephus.

Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis, ut eâ ſpecie Germanicum novis provinciis imponeret. Interim Horodem filium Artabanus regem Armeniæ creat. *Joſephus lib.* 18. *cap.* 3.

Anno Chr. 18. V. R. 771. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{7}{7}\frac{3}{4}$. Germanicus Cæſar vincit Armeniæ regem, Horodem, & expellit. *Sueton. lib.* 4. *c.* 1. Deinde in urbe Artaxatâ regem creat Zenonem, filium Polemonis Regis Ponti, eundemque Armeni Artaxiam appellarunt. *Tacit. lib.* 2. *c.* 56. *& cap.* 58. Ab Artabano legati ad Germanicum venerunt de renovando amicitiæ fœdere; ad hujus Regis preces, & in contumeliam Piſonis, Vononem Germanicus Pompejopolim urbem Ciliciæ amovet. *Tacit. lib.* 2. *Annal. cap.* 58.

Anno Ær. Chr. 19. V. R. 772. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{7}{7}\frac{4}{5}$. Vonones effugere conatur, ſed capitur & interficitur. *Tacit. Lib.* 2. *Annal. Cap.* 68. Mortem immaturam Germanici cum audiſſet Artabanus exercitatione venandi & convictu Megiſtanum abſtinuit, quod apud Parthos juſtitii inſtar erat. *Sueton. Lib.* 4. *Cap.* 5.

Anno Ær. Chr. 34. V. R. 787. Arſac. $\frac{2}{2}\frac{9}{9}\frac{0}{1}$. Artabanus Armeniæ, defuncto Rege Artaxia, Arſacem liberorum ſuorum veterrimum impoſuit: miſit legatos, an ad Tiberium an ad præſides Romanos non liquet, qui gazam a Vonone relictam in Syriâ Ciliciaque repoſcerent, ſimul veteres Perſarum ac Macedonum terminos. *Tacit. lib.* 6. *cap.* 31. *addit Dio lib.* 58. *pag.* 638. Cappadociam attentavit & ſuperbius Parthos tractavit.

Anno Ær. Chr. 35. V. R. 788. C. Ceſtio, M. Servilio Coſſ. nobiles Parthi in urbem venere, ignaro Rege Artabano. Parthis mittendi nuncios validiſſimus author fuit Sinaces, Phrahatem regis Phrahatis filium Roma poſcebant in

tum Artabano æmulum deligit: Artabanus fugam in Scythiam maturat, ab omnibus derelictus. Parthi Tiridatem Regem salutant. *Tacit. lib.* 6. *cap.* 31. 32. *& seqq.* Eodem tempore Armenia data est Mithridati, filio Mithridatis regis Iberiæ, & fratri Pharasmanis regis. *Dio lib.* 58. *pag.* 638. Orodem filium, quem olim regem Armeniæ designaverat Artabanus, tunc contra Armenos misit, sed victus ab Iberis ægrè se surripuit.

Anno Ær. Chr. 36. V. R. 789. Arsac. $\frac{1}{2}\frac{9}{9}\frac{2}{3}$. Artabanus è Scythiâ redux Tiridatem, exosum Parthis in Syriam fugat. *Tacit. lib.* 6. *cap.* 42. *& seqq.* Tiberium Parthus laceravit litteris, monens eum, ut voluntariâ morte civium odiis satisfaceret. *Sueton. lib.* 3. *c.* 66.

Anno Ær. Chr. 37. V. R. 790. Arsac. $\frac{2}{2}\frac{9}{9}\frac{3}{4}$. Cajus Caligula successor Tiberii in adversam valetudinem incidit. Accessit ad immensum amorem civium, notabilis etiam externorum favor: namque Artabanus Parthorum rex odium semper contemptumque Tiberii præ se ferens, amicitiam Caji ultro petiit, venitque ad colloquium legati consularis, Vitellij nempe, & transgressus Euphratem aquilas & signa Romana, Cæsarumque imagines adoravit. *Sueton. lib.* 4. *c.* 14. *& Dio lib.* 59. *pag.* 645. Josephus vero, qui eò loci *Antiq. lib.* 18. *c.* 6. longe distat a Suetonio & Dione, in multis errat: ait enim Judæus scriptor Tiberium petiisse amicitiam Artabani, & Parthum assensum præbuisse Tiberio, quod falsum est: refelliturque authoritate Taciti, qui *Annal. lib.* 6. Artabani perpetuum hostem Tiberium exhibet.

Anno Ær. Chr. 39. V. R. 792. Arsac. $\frac{2}{2}\frac{9}{9}\frac{4}{5}$. Cajus Caligula per pontem structum super sinu Bajano commeans veluti triumphans præ se fert puerum Darium Arsacidam Parthorum obsidem. *Sueton. lib.* 4. *cap.* 19. *& Dio lib.* 59. *pag.* 653.

Hoc circiter tempore Cajus accersitum Mithridatem Iberum in vinculis habuit, & demum in exilium misit, ut testatur Seneca Lib. de tranquillitate Cap. XI. cui suffragantur Tacitus *Annal. lib.* XI. *Cap.* 8. & Dio *Lib.* 60. *pag.* 670. *A.* Parthi Armeniam occupant, Cajo non contradicente, ut mox [illegible]bit.

Artabanum regem Parthorum, posteà à Parthis pulsus Artabanus fugit ad Izatem, a quo mox in regnum restituitur, Cinnamo, qui rex electus fuerat, in ordinem redacto: Artabanus vero urbem Nisibim dono dat Izati. *Joseph. Antiq.* 20. *c.* 2.

Artabanus rex Parthorum obiit, cui successit filius *Vardanes*. Iste statim bellum aggreditur contra Romanos invitis subditis, qui ipsum expellentes, fratrem ejus Gotarzem regem creant. *Joseph. ibidem.*

Anno Ær. Chr. 43. V. R. 796. Arsac. $\frac{298}{299}$. discordant Parthi, nam inter Gotarzis pleraque sæva, qui fratri suo Artabano, juniori filio senioris Artabani, necem præparaverat, accivere Bardanem, antea regno pulsum à Gotarze. Ille Gotarzem proturbat, præfecturas corripit, solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus; in quos ut patris quoque sui Artabani defectores irâ accensus implicatur obsidione urbis validæ. Interim Gotarzes Daharum & Bactrianorum opibus auctus bellum renovat, coactusque Bardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit. *Tacit. lib. XI. Annal. c.* 8.

Tunc distractis Orientis, Parthorum scilicet, viribus casus Mithridati datus est occupandi Armeniam. *Tacit. ibidem.* Regnum enim istud Parthi tueri non poterant, dum omnia apud ipsos bellis arderent civilibus. *Dio lib.* 60. *pag.* 670. Claudius Mithridatem Iberum domum ad recipiendum regnum Armeniæ remisit.

At Parthi Imperatores cum pugnam pararent, fœdus repente faciunt. Potior Bardanes visus retinendo regno; at Gotarzes, ne quid æmulationis existeret pœnitus in Hyrcaniam abiit. *Tacitus lib. XI. Annal. cap.* 9. Deinde Bardani deditur Seleucia septimo post defectionem anno. *Tacitus ibidem.*

Anno Æræ Chr. 44. V. R. 797. Arsac. $\frac{299}{300}$. Bardanes validissimas præfecturas inuasit, & recuperasset Armeniam, ni Vibio Marso hoc anno adhuc Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret. *Tacitus Annal. XI. cap.* 10.

Anno Æræ Chr. 45. V. R. 798. Arsac. $\frac{300}{301}$. Apollonius Tyanæus Babyloniam, id est Seleuciam ex *Plinio lib. 6. cap.*

à Gotarze receperat. Tunc Medus principatum nuper adeptus, eum sine timore non sinebat degere, reditui, ut suspicor, Gotarzis exulis favens. *Philostrat. lib.* 1. *cap.* 15. & 19.

Bardanem Ctesiphontem condidisse scribit *Ammianus Marcellinus lib.* 23. sed errat, nec in rebus externis & antiquis fidendum Ammiano.

Anno Ær. Chr. 46. V. R. 799. Arsac. $\frac{30}{30}\frac{1}{2}$. Gotarzes pœnitentia concessi regni contrahit copias, & huic contra a Vardane itum ad amnem Erindem, in cujus transitu multum certato pervicit Bardanes, prosperisque præliis medias nationes subegit ad flumen Ginden, quod Dahas Ariosque disterminat. Nec cuiquam Arsacidarum ante tributa illis de gentibus parta. *Tacit. Ibidem.* Opinor tunc Mediam Atropatiam fuisse à Parthis subactam, nam exin semper Arsacidis principibus paruit. Primus Arsacida Rex Mediæ fuit Vonones, postea Parthorum Rex mortuo Gotarze. Hunc autem Vononem hoc anno Regem Mediæ à Vardane victore fuisse constitutum arbitror.

Anno Æræ Chr. 47. V. R. 800. Arsac. $\frac{30}{30}\frac{2}{3}$. Bardanes Rex Parthorum superbiens à suis occiditur, regnum deinde Gotarzes occupat. *Tacit. lib. XI. Annal. Cap.* 8.

Potitus regiâ per sævitiem & luxum, anno 48. ut colligo, adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quibus permitti Meherdatem, filium Vononis, ad patrium fastigium orabant. *Tacit. XI. Annal. Cap.* 10.

Anno Ær. Chr. 49. V. R. 802. Arsac. $\frac{30}{30}\frac{4}{5}$. per idem tempus legati Parthorum ad expetendum Meherdatem missi, Senatum ingrediuntur. Claudius Imperator Cajo Cassio Longino, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ad ripam Euphratis jubet; Gotarzes vero Meherdatem prælio victum captumque auribus resciſſis vivere jubet. *Tacit. Annal. XI. Cap. X. & seqq.*

Anno Ær. Chr. 50. V. R. 803. Arsac. $\frac{30}{30}\frac{5}{6}$. Gotarzes morbo obiit; accitusque in regnum est Vonones Medis tum imperans. *Ex Tacito ibidem.* Brevi Vonones iste & inglorio imperio perfunctus est, resque Parthorum in Vologesem

fratrem minorem Regem Armeniæ. *Joseph. Lib.* 20. *Antiq. Cap.* 2. Vologeſes hunc in regnum deducere tentat, ſed fruſtra. *Tacit. Lib.* 12. *Annal. Cap.* 50. licet turbata tunc eſſet Armenia: Rhadamiſtus enim filius Pharaſmanis Iberi patruum ſuum Mithridatem occiderat, & regnum invadere tentaverat: at fugere cogitur. *Tacit. ibidem.*

Anno Chr. 55. V. R. 808. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{10}{11}$. Antiochus Rex Comagenes Romanorum ſocius bellum gerit contra Parthos. *Tacitus Lib.* 13, Parthi Armeniam omittunt. Vologeſes ad pacem inclinat, obſides tradit nobiliſſimos è familia Arſacidarum: rebus proſpere geſtis à ducibus Romanis Corbulone & Vinidio Quadrato præſide Syriæ. *Tacit. Lib.* 13. *Annal. Cap.* 6. & *ſeqq.* Narrat iſta ſub Coſſ. Marcello & Aviola: at hæc ad alios Coſſ. pertinere monet idem hiſtoricus *Cap.* 9.

Anno 58. V. R. 811. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{11}{14}$. iterum inter Romanos & Parthos de obtinenda Armenia ſumitur bellum, Vologeſe Rege fratri Tiridati favente. Corbulo Parthos pellit, Artaxatam capit, ob hæc conſalutatus *Imperator* Nero. *Tacit. Lib.* 13. *Annal. Cap.* 34. & *ſeqq.*

Anno Ær. Chr. 60. V. R. 813. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{15}{16}$. Corbulo Tigranocertam capit. Interim Hyrcani cum Parthis diſſident, ſocietatemque Romanam petunt. At Corbulo Armeniæ reliqua ſubigit, cui Rex imponitur Tigranes, ex Herodiadarum ſanguine ortus. *Tacit. Lib.* 14. *Cap.* 23.

Anno Ær. Chr. 61. V. R. 814. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{16}{17}$. Tigranes Rex Armeniæ fines Parthorum populatur, Vologeſes vero bellum cum Romanis & Armenis redintegrat, diadema Armeniæ fratri Tiridati imponit. Interim Tigranes urbem principem, Artaxatam, occupat, quam fruſtra tentant Parthi. Corbulo auxiliatur Tigrani, mittitque ad Vologeſem, qui poſtularent vim provinciæ illatam: à pace non abhorret Vologeſes, mittit ad Imperatorem Romanum ſuper petenda Armenia & firmanda pace. *Tacit. lib.* 15. *Annal.*

Anno 62. V. *R.* 815. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{17}{18}$. Cæſenius Pætus dux tuendæ Armeniæ advenit. Legati Vologeſis revertere irriti Pætus Armeniam intrat, re male geſtâ cum Parthis ad turpia facta venit Pætus. Exin fugit in Cappadociam, ibidem

Anno 63. V. R. 816. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{1}{1}\frac{8}{9}$. legati Parthorum cum ſuperbis mandatis veniunt ad Neronem, nec dubitatur de bello, cui præficitur Corbulo. Tiridates deinde & Vologeſes pacem poſtulant: Tiridates in caſtra Romana veniens, diadema detrahit, ſubjicitque imagini Neronis. Vologeſes ſcribit ad Corbulonem litteras, ut Tiridates tantus haberetur inter Romanos quantum Conſul.

Anno 66. V. R. 819. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{2}{2}\frac{1}{2}$. Tiridates tandem Romam venit, & regnum Armeniæ accepit à Nerone, ut fuſius narrat Tacitus *Lib.* 15. *Cap.* 23. *& ſeqq.* Vologeſes autem Rex Parthorum licet ſæpe numero accerſitus, venire ad Neronem noluit, ac tandem cum ei moleſtus eſſet, reſcripſit: *Tibi quidem longe facilius eſt tam magnum mare navigare quam mihi.* At Nero nec in illum trajecit, quamvis ſuccenſeret. In Græciam autem trans mare vectus eſt hoc anno. *Dio lib.* 63. *in Epit.*

Anno 69. V. R. 822. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{2}{2}\frac{4}{5}$. miſſi ad Parthum Vologeſem Armeniumque Tiridatem legati à Veſpaſiano electo in Oriente Romano Imperatore, proviſumque, ne verſis ad bellum civile contra Vitellium legionibus terga nudarentur. *Tacit. Lib.* 2. *Hiſt. Cap.* 82.

Anno 70. V. R. 823. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{2}{2}\frac{5}{6}$ veniunt Alexandriam ad Veſpaſianum legati regis Vologeſis, quadraginta Parthorum equitum millia offerentes. Gratiæ Vologeſo actæ, mandatumque, ut legatos ad Senatum mitteret, & pacem eſſe inter Romanos mortuo Vitellio ſciret. *Tacit. Hiſt. Lib.* 4. *Cap.* 51. *& Sueton. Lib.* 8. *Cap.* 6. E Regibus Vologeſus Parthus promiſit quadraginta ſagittariorum millia. Eodem anno cum Titus Veſpaſiani filius ad Euphratem prope Zeugma veniſſet, legati Vologeſis Parthorum Regis eo miſſi, eidem Tito auream coronam ob devictos Judæos obtulerunt. *Joſeph. lib. VII. de Bello Jud. Cap.* 24.

Anno 71. V. R. 824. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{2}{2}\frac{6}{7}$. Vologeſus Parthorum Rex miſſis ad Senatum legatis de inſtauranda ſocietate magnopere oravit, ut memoria Neronis coleretur. *Sueton. ſub finem Lib.* 6.

Anno 73. V. R. 826. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{2}{2}\frac{8}{9}$ cum Antiochus Com-

thos, ſcribit ad Veſpaſianum Vologeſes litteras principum Commagenorum gratia. *Joſeph. de Bello Jud. Lib.* 7. *C.* 27. *pag.* 984.

Anno 75. circiter V.R. 828. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{3}{3}\frac{0}{1}$. Alani aditu ſibi præbito à rege Hyrcanorum, qui jam à Parthis defecerat, Mediam invadunt per portas ferreas, & diripiunt nullo reſiſtente; Pacorus Rex Mediæ in difficilia loca refugiens cæteris quidem bonis ceſſerat, vix autem à barbaris uxorem ac concubinas ſuas captas centum talentis redemit. *Joſeph. de Bello Jud. lib.* 7. *pag.* 985. Deinde Alani Armeniam vaſtant, Tiridatem Regem acie ſuperant, vixque ex eorum manibus ſe ſurripuit. *Idem ibidem.*

Vologeſus Parthorum Rex auxilia adverſus Alanos, ducemque alterum ex Veſpaſiani liberis depopoſcit. Domitianus omni ope contendit, ut ipſe potiſſimum mitteretur; & quia diſcuſſa res eſt, alios Orientis reges, Armeniæ puta & Mediæ, ut idem poſtularent, donis ac pollicitationibus ſollicitare tentavit. *Sueton. Lib.* 12. *Cap.* 2. Alani autem multis regionibus direptis & vaſtatis in patriam reverſi ſunt.

Quo anno obierit Vologeſus prorſus incertum. De eodem principe hæc tradit Plinius coævus *Lib.* 6. *Cap.* 26. Nuper Vologeſus Rex aliud præter Cteſiphontem oppidum Vologeſocertam in vicino Seleuciæ condidit; nempe ad exhauriendam Seleuciam.

Artabanus ſucceſſit Vologeſo, cujus temporibus cum jam falſi Nerones apparuiſſent, ut docet nos Tacitus, tandem anno 88. V.R. 841. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{4}{4}\frac{3}{4}$. homo Aſianus nomine Terentius Maximus Neroni & facie & voce ſimilis, nam ad cytharam quoque canebat: is comparata in Aſiâ factione, & ad Euphratem progreſſus manu longe majore factâ, denique ad Regem Artabanum confugit, qui Tito, vel Domitiano potius, iratus illum receptum Romam reducere inſtituit: *Zonaras Annal. Lib. XI. Cap.* 18. Ea quidem ſub Tito refert Annaliſta, qui Romanas res haurit è libris Dionis; ſed ſi quidem Dio iſta ad Titum retulit, erravit: nam orbis Romanus nullis bellorum terroribus concuſſus eſt ſub Tito, qu

tigit *sub finem libri* 6. cum post 20. annos, à cæde Neronis, id est, anno V. R. 841. quo annus 20us à cæde Neronis completus est, extitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus & vix redditus sit. Tacitus vero *Lib. I. Histor. initio*: mota etiam prope Parthorum arma falsi Neronis ludibrio.

Parthicus tumultus falsi Neronis gratia anno ab obitu veri Neronis 20mo, non 10mo procul dubio illigandus; nec audiendi, qui repugnantibus omnibus Suetonii codicibus, ejusdem authoris textum emendare, imo corrumpere conantur; ibidem *post decem*, non *post viginti annos* legere ausi, Suetonio vel judice vincuntur: etenim ipse in Domitiano *cap.* 12. narrat: hunc principem exhaustum operum ac munerum impensis, stipendioque, quod adjecerat, tentasse ad relevandos castrenses sumptus militum numerum diminuere: sed cum obnoxium se barbaris per hoc animadvertisset, nihil pensi habuisse, quin prædaretur omni modo, & inter cæteros Judaicum fiscum acerbissime actum fuisse; quæ ad ultimos Domitiani annos pertinere constat. Verum tunc adolescentulus erat Tranquillus, ipsomet teste. Quo pacto igitur ante annos decem & amplius vivente Tito, jam erat adolescens Suetonius? id tamen admittere tenebitur ille, qui falsi Neronis tempus ad decimum ab interitu veri Neronis annum revocare tentabit; asserit enim Tranquillus, se adolescente, Parthos falsum Neronem vehementer adjuvisse, quæ cum absurda sint, explodenda ducimus. Anno saltem Dionysiano 89. V. R. 842. falsum Neronem turbas in Oriente excitasse pro comperto habendum; & quidem imperante Domitiano, non Tito; cujus tempora felicia & tranquilla nullo bellorum & hostium metu turbata fuere. Zonaræ quidem soli errorem istum libenter attribuerem potius, quam Dioni, quem jugiter exscribit; nam corruptum in codicem incidere aut priscum authorem minus recte interpretari facillime recentior Græculus scriptor potuit.

Anno V. R. 843. Christi 90. Arsac. 345. circiter, mortuo Artabano Imperium Parthorum capessivit Pacorus.

mus Mediæ Principem dederat, existimat Joan. Maria Catanæus *in notis ad Epistolas Plinianas*, sed Regem illum, qui Mediam sui juris fecit, quemadmodum superius notavimus anno V. C. 803. Æræ Dionysianæ 50. adhuc floruisse post annos quadraginta aut quinquaginta circa annum V. C. 850. mihi non fit verisimile; Pacorum, qui ultimis Domitiani annis imperitavit Parthis, filium fuisse, non patruum prædecessoris sui Artabani, satius est opinari.

Pacorus iste non levem injiciebat Domitiano formidinem, ut colligo ex Epigrammate 36. *lib.* 9. *Martialis*. Hic Poëta falsè vellicat quendam famigeratorem parasitum celebrem, Philomusum nomine, qui rebus novis enarrandis aut fingendis totus incumbens, cunctis tædium afferebat:

Artibus his semper cœnam, Philomuse, mereris,
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Scis quid in Arsaciâ Pacorus deliberet aulâ,
Rhenanam numeras Sarmaticamque manum;
Verba Ducis Daci, Cattis mandata resignas:
Victricem manum quam venit ante vides.

Eundem Pacorum Regem Parthorum amicum Decebali, Dacorum Regis fuisse, docet nos Plinius Junior *lib.* 10. *Epistola* 20. & ibi ad Trajanum, quem monet quendam nomine Callimorphum confugisse ad principis statuam, perductumque ad Magistratus, indicasse; servisse aliquando Laberio Maximo, captumque à Susago in Mæsiâ, & à Decebalo muneri missum Pacoro Parthiæ Regi, pluribusque annis in ministerio ejus fuisse, deinde fugisse: secum autem attulerat Callimorphus ille gemmam habentem imaginem Pacori, & quibus insignibus ornatus fuisset, glebulamque ex Parthico metallo. Quo anno interierit Pacorus, incertum prorsus, sed cum Decebali amicus fuerit, & posteà multis annis vixerit, verisimile non est, Regem istum è vivis excessisse ante annum Æræ Christianæ 100. Filium reliquit nomine Par-Tamasirin. Chosroes seu Hosroes, quem Pacori fratrem fuisse testatur Dio, post eundem Pacorum regnavit, eumque Par-

Anno Ær. Chr. 112. V. R. 865. Abrahami 2128. Arſac. 367. Choſroes Rex Parthorum ejecto Exedare Rege Armeniæ, ſucceſſore Tiridatis & Arſacida, Regem Armeniæ creat fratris Pacori filium Parthamaſirin inconſulto Imperatore Trajano, qui vehementer indignatus, bellum contra Parthos gerere decernit. Inde belli Parthici initium ſumendum; iſtud autem Euſebius integre narrat hoc anno, licet pluribus annis geſtum, eo quod currente Abrahami anno inchoatum fuerit, Parthis Armeniam invadentibus, quæ in principis Romani clientela erat. Legendus *Dio lib.* 68. Julianus autem Imperator in Cæſaribus ſic loquentem introducit Trajanum: Parthos autem, priusquam abhis injuria affectus eſſem, armis violandos non exiſtimavi, ut vero injuriam intulerunt, cum nempe Armeniam invadere auſi ſunt, non me ætas ingraveſcens, etiam tum legibus mihi militiæ vacationem concedentibus, ab iis invadendis revocavit. Egreſſus eſt Româ ad bellum Parthicum Trajanus anno Imperii ſui 15. (IB. apud Malelam ſed lege IE, ut jam in Anglia viri docti videre) menſe Hyperberetæo ſeu Octobri. Ita Malela, qui ſua ex Domnino Chronographo mutuat, id eſt anno Abrahami ineunte 2129. Arſac. 368.

Anno Ær. Chr. 113. V. R. 866. Arſac. $\frac{1}{3}\frac{6}{6}\frac{8}{9}$. Trajanus Athenas venit & non multo poſt legati Hoſrois eodem eum conveniunt, qui pacem petunt munera offerentes. Nam quia de profectione Trajani Hoſroes acceperat in remotioribus Orientis partibus, trepidans miſerat oratum ſupplici-ter, ne bello invaderetur & Armeniam pro Parthamiſiri Pacori filio petebat, Trajanus non aliud reſpondit niſi ſe, poſtquam in Syriam veniſſet, facturum omnia, quæ fieri par eſſet. *Dio lib.* 68. *pag.* 778. In hac ſententiâ perſiſtens Aſiam Ciliciamque cum finitimis provinciis peragravit, æſtate & autumno hujusce anni, ac Seleuciam appulit. *Dio & Domninus apud Malelam.* Seleuciam appulit, id eſt, ad portam Batyllum μηνὶ Απριλλέῳ τῷ καὶ Δεκεμβρίῳ lege Ἀπελλαίῳ, *menſe Apellæo ſeu Decembri.*

Anno 114. V. R. 867. Arſac. $\frac{1}{3}\frac{6}{7}\frac{9}{0}$. Trajanus Imperator

ſtans ëx ramuſculis oleaginis contextam. Ita *Malela*. Lege etiam *Dionem pag.* 779. Antiochiæ cum eſſet, Augarus Oſroenus ei, non ille quidem occurrit, munera tamen & legatos metuens miſit; Trajanum pariter & Parthos metuens. Ita *Dio ibidem*.

Parthamaſiris ſeu Pa Thama Sir primum Trajano ſcripſit tanquam Rex, & quia nihil reſcriptum eſſet, alias litteras miſit omiſſo nomine Regio.

Nihilominus Armeniam invadit Trajanus & eam provinciam populi Romani facit, rejecto Parthamaſiri. Hæc narrat *Dio apud Xiphil. & in fragmentis lib.* 68. *pag.* 779. *& ſeq.* At Anchialum Trajanus Heniochorum Machelonumque Regem donis mutuis cohoneſtavit. *Dio pag.* 779. Trajanus dictus eſt ſecundo a Senatu Optimus; Armeniacus vero a militibus.

Anno 115. V. R. 868. Arſac. $\frac{37}{37}\frac{0}{1}$. Trajanus Edeſſam veniens & Augaro Regi placatus, ibidem aliquandiu ſubſtitit. Cum in Meſopotamiam veniſſet Regibus Mano, Maniſaro, & Bebarſapi Adiabenes bellum intulit, Singara capit ope Luſij Quieti. *Dio pag.* 781. Trajanus Niſibi Batnisque captis in Meſopotamia Parthicus cognominatus eſt. *Dio Ibidem*. Deinde Antiochiam revertitur, ibidem hyemat & terræ motu ferè opprimitur Dominica die 23. Menſis Apellæi ſeu Decembris anno Antiochiæ 164. *ex Malela* rite emendato.

Anno 116. V. R. 869. *Dio pag.* 785. ineunte vere Trajanus in hoſtilem terram ingreſſus eſt. Romani navigiis Tigrim tranſmeantes Adiabenem & Arbela capiunt, poſt Babylonem uſque veniunt, nullo hoſte repugnante; nam Parthorum vires comminutæ erant bellis civilibus, eratque tunc inter eos ſeditio. (inter Hoſroem nempe & Partamaſpatem; iſtum enim Regis Armeniæ filium & Regis Parthorum hoſtem exhibet *Joan. Malela in Chronographia*, licet hiſtoriam iſtam fædis involvat fabulis, attamen vetuſtis libris uſus eſt) Trajanus mox Cteſiphontem Regiam Parthorum ingreditur, qua urbe capta Imperator appellatus eſt confirmato

magnum venit periculum; Characem deinde dictam Spasini (primi scilicet Regis Characenorum) quæ erat in ditione Athambili (qui Athambilus è successoribus Spasini erat) De quo Spasino *Lucianus in Macrobiis*.

Anno 117. V. R. 870. Arsac. $\frac{5}{3}\frac{7}{7}\frac{2}{3}$. dum Trajanus navigat versus Oceanum, omnia quæ ceperat maximo tumultu defecerunt; qua defectione cognita, Lusium & Maximum contra rebelles misit. Maximus ab iis prælio superatus est, sed Lusius recuperavit Nisibim, Edessam expugnavit, diripuit & incendit, Seleucia ab Erucio Claro & Julio Alexandro legatis capta & incensa est. Trajanus metuens, ne Parthi aliquid molirentur, ipsis Regem dare constituit. Ut Ctesiphontem venit, Parthis Regem Partamaspatem, Arsacidam sed hostem Chosrois, designat. Inde profectus in Agarenos, eos adortus infausto successu. Recedere hinc coactus cum in morbum incidisset, obiit Selinunte in Cilicia mense Augusto, cui succedit Hadrianus, qui tunc exercitui Syriano præerat.

Anno Ær. Chr. 118. V. R. 871. Arsac. $\frac{3}{3}\frac{7}{7}\frac{3}{4}$. Hadrianus Imperator deficientibus his nationibus, quas Trajanus subegerat, omnia trans Euphratem & Tigrim reliquit, Psatamasirim (emenda Partamaspin) quem Trajanus Parthis Regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus Regem dedit. Testis *Spartianus Vit. Adrian. Cap.* 3. Quibus autem gentibus, illum Hadrianus Regem dederit disce ex eodem Spartiano *Cap.* 4. Parthos in amicitia semper habuit, quod inde Regem retraxit, quem Trajanus imposuerat; Armeniis Regem habere permisit; cum sub Trajano legatum habuissent. Tunc Hadrianus Antiochiæ erat, ut docet nos *Spartianus Cap.* 5. Trajani gloriæ invidens, statim provincias tres reliquit, quas Trajanus addiderat, & de Assyria, Mesopotamia & Armenia revocavit exercitus, ac finem Imperij esse Euphratem voluit. *Eutrop. lib.* 8. *pag.* 114. Parthi Parthamaspati servire abnuentes suis moribus regi cœperunt, ἐν πῷ σφετέρῳ τρόπῳ ἤρξαντο βασιλεύεσθαι, revocato scilicet eorum legitimo Rege Chosroe. *Dio in Epit.*

Hoc, inquam, anno 118. (*Eutropius lib.* 9.) Hadrianus statim ab adepto imperio provincias omnes reliquit, quas Trajanus addiderat, & de Assyria, Mesopotamia & Armenia revocavit exercitus, ac finem imperii voluit esse Euphratem: non modo Assyriam, sed Mesopotamiam Parthis restituit, scilicet partem Mesopotamiæ, quam Arsacidæ prius obtinuerant, cujus primariæ urbes fuere Amida & Nisibis: at ejusdem regionis pars Osrhoene dicta, quam alluit Euphrates, Abgaro regulo à Trajano sub tributi onere concessa, indigenis principibus suis paruit volente Hadriano, non Parthis. Istos autem Mesopotamios Syris vicinos anno saltem imperii sui 15. prorsus liberos & immunes à tributo esse decrevit, ut infra demonstrabimus ex Nummis.

Anno Ær. Chr. 130. V. R. 883. Arsac. $\frac{385}{386}$. Hadrianus Imp. urbes Asiæ usque ad Euphratem lustravit. Tunc bellum Parthorum per idem tempus tantum in motu fuit, idque Adriani colloquio repressum est. *Spart. cap.* 12. Quæ tamen manifestè transposita & loco suo mota videntur, pertinent vero ad *Cap.* 13. ubi hæc leguntur: Hadrianus a Cappadocibus servitia castris profutura suscepit, Toparchas, & reges ad amicitiam invitavit, invitato etiam Chosroe seu Hosroe rege Parthorum, remissaque illi filia, quam ceperat Trajanus, ac promissa sella, quæ itidem capta fuerat; cumque ad eum quidam reges veniissent, ita cum his egit, ut eos pœniteret, qui venire noluerunt, causa speciatim Pharasmanis, qui ejus invitationem superbè neglexerit. Cosdroes ex illis non fuit, qui causa Pharasmanis ad Hadrianum venire noluerunt, nam Iberi semper fuere aut plerumque Parthorum hostes & præcipuè tempore Pharasmanis, ut mox videbimus. Cosdores idcirco ad Hadrianum venit, & *colloquio Hadriani bellum, quod tantum in motu erat, repressum*, ut legitur *Cap.* 12. *ejusdem Spartiani*. Hadrianns tamen sellam regiam non remisit, nec promissis stetit; eo quod, ut opinor, non multo postquam ex Asiâ egressus est Imperator, Rex Cosdroes obierit.

Anno 133. Arsac. 389. hoc etiam anno Juliano labente H

tusque terminus Euphrates esset, Mesopotamios liberos à tributo pronuntiavit, quod Trajanus imposuerat. *Spartianus cap.* 4. Mesopotamios, inquam, non Parthis seu Arsacidis sed regulis & Philarchis subditos. Resainam oppidum non ignobile Osrhoenes prorsus liberum esse Imperator iste voluit, & exinde epocham suam instituerunt & numerarunt Resainenses, uti demonstrant hi nummi sub Decio cusi cum hac Epigraphe in antica. ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΓΑΙ. ΜΕC. ΚΥ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟC. CEB. In posticâ: CEП. PHCAINHCIΩN. HIP. *Septimiorum Resainensium* 118. vel ut in alio Nummo CEП. ΚΟΛ. PHCAINHCIΩN. L. HIP. *Septimiæ Coloniæ Resainensium anno* 118. Cujus epochæ initium ex vera Imp. Decij Chronologia ad annum Æræ Christ. 132. vel 133. procul dubio revocanda. Tunc igitur Hadrianus Mesopotamios, & eorum regulos Osrhoenenses scilicet ab omni tributorum onere exemit: Resaina, quæ hodie prisco retento nomine Rasain dicitur, olim à Theodosio Magno restituta, & aucta Theodosiopolis appellata fuit, ut docet nos *Joan. Malela parte 2. Chronici pag.* 40. Ἐποίησε δὲ ὁ αὐτὸς Θεοδόσιος καὶ τῷ λεγομένῳ πρώην κώμῃ Ροφαείναν (Emenda Ρασαείναν) πόλιν, ἥτις μετεκλήθη Θεοδοσιούπολις, λαβοῦσα ἔκτοτε ἡ αὐτη κώμη καὶ δίκαιον πόλεως ἕως τῆς νυῦ ἐπὶ τῆς ὑπατείας Μηροβάυδε καὶ Σατυρνίνε. id est, *fecit etiam ipse Theodosius oppidum, quod prius Rasaëina dicebatur, civitatem, quæ nomine mutato dicta est Theodosiopolis, accipiens exinde hoc oppidulum Jus Civitatis usque nunc; & quidem sub consulatu Merobaudis & Saturnini*: anno 383. Rasaina, quæ & Theodosiopolis, sita fuit ad Aboram sive Chaboram fluvium in Osrhoëne, testibus *Stephano Geographo & Procopio Lib.* 2. *de ædific. Justiniani.* Attamen Hadrianus Rasainam liberam omnino esse voluit, nec Regibus Osrhoënes subditam; idque ex eo colligo, quod ut docent nos nummi, Septimius Severus Coloniam Romanorum istud oppidum fecit: erat igitur tunc liberum oppidum istud; at regnum Osrhoenes in provinciam primum redactum fuit à Caracalla filio Septimij Severi; ut docet nos *Dio.*

Anno circiter 134. V. R. 887. Arsac, $\frac{5}{3}\frac{8}{9}\frac{2}{0}$. succedit Vogeses II. patri Chosroi.

que Cappadociam poſt Alanis, non Albanis, ut imperitè ſubſtituit Leunclavius, partim muneribus à Vologeſo perſuaſis, partim metu Flavij Arriani præſidis Cappadociæ adductis, conquieverunt. *Dio Lib.* 69. *pag.* 794.

Anno 136. V. R. 889. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{9}{9}\frac{1}{2}$. Vologeſus Rex Parthorum legatos miſit ad Hadrianum, ut Pharaſmanem accuſarent. Hos in Senatum introduxit Adrianus. *Dio ibidem.* Re infecta redierunt Parthi. Nam Imperator Pharaſmani Ibero cum uxore Romam profecto Imperium auxit, & in Capitolio ſacrificare permiſit.

Anno 138. obiit Hadrianus, cui ſucceſſit Antoninus.

Anno autem ſequenti 139. V. R. 892. Arſac. $\frac{3}{3}\frac{9}{9}\frac{4}{5}$. moritur Rex Armeniæ Partamaſapes Arſacida, relicto filio nomine Achæmenide. *Jamblichus in Dramatico apud Photium Bibl. Cod.* 94. Vologeſus jam Armeniæ inhiabat; at Imp. Antoninus Parthorum regem ab Armeniorum expugnatione ſolis litteris repulit. *Capitolin. in Pii vita cap.* 9. Hoc autem anno ab Antonino Pio, cum eſſet TRIB. POT. II. COS. II. REX ARMENIS. DATUS. S. C. ut in nummorum inſcriptionibus legimus; ſellam regiam Parthorum regi repetēnti, quam Trajanus ceperat, nec Hadrianus reddiderat, pernegavit; ut teſtatur *Capitolinus in vita Antonini Pii.* Quamdiu vixit Antoninus tranquillâ pace Oriens quievit.

Anno 161. V. R. 914. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{1}{1}\frac{6}{7}$ mortuo Antonino Pio, ei ſuccedunt adoptivi filii M. Aurelius & Lucius Verus menſe Martio, quod cum audiiſſet Vologeſus, ſtatim Armeniam invaſit: demortuo autem Achæmenide Arſacida filio Parthamaſapis, regnum Armeniæ devenit ad Sohæmum filium Achæmenidis ex patribus regibus ortum: qui regno deturbatus a Vologeſe Romam fugit, ubi ſimul creatus eſt Senator & Conſul, ſuffectus ſcilicet, (*Jamblichus in Dramatico apud Phot.*) Vologeſes prior bellum Romanis intulit, totum exercitum Romanorum Severiano commiſſum ad Elegiam oppidum Armeniæ undique concluſum una cum ipſis ducibus ſagittarum ictibus confecit. *Dio Lib.* 71. *pag.* 802. *B.*

Dux Parthorum præcipuus erat Hoſroes, quem Græci

de morte Severiani ſcripſit: quod cæteri quidem omnes decepti & falſi ſint, qui putarunt ipſum gladio interfectum fuiſſe, quando inedia & cibi abſtinentia perierit. Sic vero iſtum nugatorem refellit Lucianus; neſcit totum illud, quod ille Severianus paſſus eſt, trium duntaxat dierum fuiſſe; qui autem inedia moriuntur, etiam in ſeptimum uſque diem plerique ſufficiunt: niſi quis hoc credere volet, quod Hoſroes aſtiterit expectans, donec Severianus fame interiret, & ob hoc ante ſeptimum diem in aciem non eduxerit. Porro idem *Lucianus in vita Alexandri Pſeudomantis pag.* 486. *& ſeq.* ducem Parthorum Oſroem appellat Othryadem, narratque Severiano redditum fuiſſe ſuper expeditione in Armeniam ſuſcipienda oraculum ex Autophonis, id eſt, voce ipſius Dei Glyconis, cujus ſacerdos & propheta erat Alexander; adhortans enim illum ad incurſum regionis, ſic ait:

Parthis Armenisque citato Marte ſubactis:
Romam urbem repetes & claras Tibridis undas.
Vertice ſerta gerens radiis diſtincta ſerenis.

Deinde poſtquam vecors ille Gallus perſuaſus incurſionem feciſſet, cædereturque ab Othryade; hoc oraculum à commentariis ſuſtulit, atque aliud in ejus locum ſubſtituit Alexander hujusmodi:

Agmen in Armenios ne duc: neque enim expedit iſtuc.
Ne tibi fœmineis vir amictus veſtibus arcu
Excitium immittat, vitaque ac lumine privet.

Siquidem hoc interim callidiſſime fuerat commentus, ut poſterioribus ſubſtitutisque reſponſis ea, quæ perperam maleque eveniſſent, ſarciret ac mederetur. De eadem clade à Romanis perpeſſa ſcribit Capitolinus *in M. Aurelio Cap.* 8. Fuit eo tempore, ſub initio fratrum M. & Lucij, etiam Parthicum bellum, quod Vologeſus paratum ſub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Atilio Corneliano, qui Syriam tunc adminiſtrabat. *Idem in Vero Cap.* 6. Interfecto legato Severiano, cæſis legionibus in Armenia Syri defectionem co-
[illegible] oriens vaſtatur. Primo in Armenia Romanos cla-

hiſtoria ſcribenda ſit. Hoc anno Imp. Verus in Orientem profectus eſt belli Parthici cauſa, & hyemavit Laodiceæ. *Capitol. in Veri vita C.* 7.

Anno 162. V. R. 915. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{17}{18}$. bellum inchoatum à Romanis Duce Statio Priſco, per quem geſtæ ſunt res in Armeniâ proſpere, Artaxatis captis. *Capitolin. in Marco*, ſcilicet anno ſequenti 163. nummus probat TRIB. POT. III. IMP. II. COS. II. Armenia cum captivo ad trophæum ſub finem hujuſce anni 163. V. R. 916. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{18}{19}$.

Anno 164. V. R. 917. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{19}{20}$. cum Verus jam ſuſcepiſſet Trib. Pot. IIII. dictus eſt ab exercitu *Armeniacus*, & ab eo Rex Armenis datus, ut ex nummis patet. Rex iſte Sohæmus fuit Rex antequam à Parthis expelleretur genuinus regni Armeniæ hæres, & Rex iterum creatur Armeniæ majoris, ut ſcribit *Jamblichus apud Photium in Bibl.*

Vologeſes victus ultra Euphratem flumen fugit: *Jamblichus Ibidem. Dio Epitom. Lib.* 71. *pag.* 802. Caſſius adorientem ſe Vologeſem ſuſtinuit circa Euphratem.

Anno 165. ineunte vere, Vologeſes victus ultra Tigrim fugatus eſt, & Parthorum regio â Romanis ſubacta fuit, ut narrat *Jamblichus* Babylonius ocularis teſtis *apud Photium in Biblioth. Callimorphus* coævus etiam *apud Lucian. quomodo conſcrib. hiſt. pag.* 356. multis verbis deſcribebat, qualis fuerit coma Hoſrois Ducis Parthorum natantis per Tigrim poſt cladem acceptam, & in quale antrum effugerit. Duces Romani confecerunt Parthicum bellum Statius Priſcus, Avidius Caſſius, & Marcius Verus, qui poſtea Cappadociæ præfuit, teſte *Dione Lib.* 71. *pag.* 811. *A.* per quadriennium, ita ut Babylonem (provinciam) & Mediam pervenirent, partumque Vero, qui Antiochiæ morabatur, nomen Armeniaci, Parthici, Medici, quod etiam Marco Romæ agenti delatum eſt. Egit autem per quadriennium Verus hyemem Laodiceæ, æſtatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ. Ita *Capitol. in Vero cap.* 7. *Dio lib.* 71. *in Epit. pag.* 802. *C.* Caſſius deſertum tandem Vologeſem a ſociis & terga vertentem inſecutus, Seleuciam & Cteſiphontem venit, deinde vaſtatâ Seleucia atque incenſâ regia Vologeſi, quæ in urbe Cteſiphonte erat

pugnata eſt, id eſt, vaſtata; quod quidem etiam inter cæteros Quadratus belli Parthici ſcriptor incuſatis Seleucienſibus, qui fidem primo ruperant, purgat, *apud Capitol. in Vero Cap.* 8. *Dio ibidem* ut ſupra. Cum autem Caſſius reverteretur, magnum numerum militum amiſit, qui partim fame enecti, partim morbo extincti ſunt, rediit ægrè in Syriam cum reliquis militibus.

Exin tamen Meſopotamia Romano Imperio addicta fuit, quam Parthi nunquam receperunt, licet eandem provinciam aliquoties infeſtaverint incurſionibus.

Vologeſes rebus infeliciter geſtis, deinde usque ad obitum quievit.

Sohæmo autem Armeniæ rege mortuo ſucceſſit filius, ut colligo, Sanatrucus nomine, de quo hæc ſcribit *Suidas:* Corpus quidem habebat mediocre, ſed animo erat ad omnia magno, præcipuè vero ad res bellicas, juſtitiæ cuſtos fuit, & frugalis, ſicut præſtantiſſimi Romanorum & Græcorum.

Quo anno obierit Vologeſes, incertum eſt. Hic Vologeſes 2^dus^. ſucceſſorem habuit filium Vologeſem 3^um^ qui Commodo imperante jam regnabat. Peſcennii Nigri amicus præſidis Syriæ, qui in provincia, interfecto Pertinace, purpuram ſumpſit. Nigro enim Peſcennio Parthos faviſſe ſcribit *Spartianus Cap.* 9. adde *Herodian. Lib.* 3. *Cap.* 5. Regnabat itaque Vologeſes 3^us^. ante annum Chr. 193. V. R. 946. Arſac. 448. Hac epocha & nota Chronologica HMY 448. nummum ejusdem Vologeſis ſive ΟΛΑΓΑΣ conſignatum vidi.

Anno 195. V. R. 948. Arſac. $\frac{450}{451}$. dum muri Byzantiorum obſidentur, Severus exercitum contra Oſroënos, Adiabenos, & Arabas duxit, quos vincit Severus. *Dio Lib* 76. *pag.* 848. *Spartian. Cap.* 9. *vitæ Severi.* Arabas autem & Parthos oderat Severus, quia æmuli ſui Nigri ſocii fuerant. *Herodian. Lib.* 3. *cap.* 5. *& Spartian. cap.* 9. *vitæ Severi.*

Anno 196. V. R. 949. Arſac. $\frac{451}{452}$. Severus bellum inferre tentat Parthis & Adiabenis; bellum tamen Parthicum in aliud tempus rejecit: *Herod. lib.* 3. *cap.* 5. Severus tamen dictus eſt Arabicus, Adiabenicus, Parthicus, at recuſavit Parthicum nomen, ne Parthos laceſſeret. *Spartian. ſub finem*

Anno 198. V. R. 951. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{5}{5}\frac{3}{4}$. Parthi occupato Severo Imp. bellis civilibus, arreptâ licentia Meſopotamiam invadunt, magnis copiis conductis Niſibin obſident, ſed ea à Læto Duce Romano conſervatur: *Dio lib.* 75. *pag.* 833.

Anno 199. V. R. 952. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{5}{5}\frac{4}{5}$. Severus Româ proficiſcitur ad bellum Parthicum. Trajecto exercitu à Brunduſio continuato itinere venit in Syriam, Parthosque ſubmovit à finibus Romanorum, *Spartian. cap.* 14. *&* 15. *vitæ Severi*; Niſibin venit ſub finem hujuſce anni, Parthi adventu Severi minime expectato domum ſunt reverſi: frater vero Regis Vologeſis cum Severo erat. *Dio pag.* 854.

Anno 200. V. R. 953. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{5}{5}\frac{5}{6}$. jam Severus in Armeniam facturus impetum, præventus eſt à rege Armeniorum mittente obſides. Poſtea in Syriam, ut ſe pararet ad bellum Parthis inferendum, revertitur. *Herod. lib.* 3. *Dio vero in frag. lib.* 75. *pag.* 854. Quum Vologeſes Rex Armeniæ, Sanatruci Regis Armeniæ itidem, *ex Suida*, filius aciem oppoſuiſſet Severianis, & priuſquam cum eis confligeret, inducias poſtulaſſet; legatos Severus ad eum miſit, eique partem Armeniæ pacis cauſa donavit. Partem itaque abſtulit, Sophenen nempe, quæ exinde paruit Satrapis indigenis, Romanis vectigalibus uſque ad Juſtinianum Imperatorem.

Anno Ær. Chr. 201. V. R. 954. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{5}{5}\frac{6}{7}$. Severus inopinato Parthos aggreditur, regiam Cteſiphontem trajecto Tigri capit, & militibus diripiendam concedit. Illinc fugat magnum regem Vologeſem, quem perperam Artabanum vocat *Herodianus Lib.* 3. *Cap.* 74. Dioni enim Severi comiti, & familiari omnino fidendum; non Herodiano, cujus aſſerta ex ſcriptis Dionis invicte refelluntur. In multis enim peccat Herodianus, dum bellum iſtud Parthicum narrat.

Anno 214. V. R. 967. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{6}{7}\frac{9}{0}$. mortuo Vologeſo 3^tio^. dum Antoninus Caracalla in Aſiam venit, ſuccedit filius major natu Artabanus, fratribus ejus repugnantibus, qui de regno inter ſe certant, eoque ſe multum jactat Antoninus. *Dio frag. Lib.* 77. *excerpt. Valeſian. pag.* 746. *&* *apud Epit. Xiphil. eodem Lib.* 77. *pag.* 876. Antoninus ſcripſit ad Senatum

quam ad amicum fraude pellectus veniſſet Augarus Rex Oſroënorum comprehenſum conjecit in vincula & Oſroënem rege deſtitutam cepit & in provinciam redegit.

Anno 215. V. R. 968. Arſac. $\frac{47}{47}\frac{0}{1}$. Artabanus ſolus regnat, ſed ei bellum intulit Caracalla, eo quod Tiridatem & Antiochum quendam, quos poſcebat, non dederat. Poſtquam autem à Partho metu perterrito utrumque recepit, à bello deſtitit Parthico.

Anno 216. V. R. 969. Arſac. $\frac{47}{47}\frac{1}{2}$. Caracalla regem Armeniorum Vologeſem, qui cum filiis diſſentiebat, velut inter eos pacem facturus, per litteras vocavit, ac deinde iſtos non aliter quam Augarum tractavit, eos, inquam, in vincula conjecit. *Ep. Dion. Lib.* 77. *pag.* 875. Porro Theocritum miſit cum exercitu in Armenios, à quibus victus magnam cladem accepit. *Lib.* 77. *pag.* 878. *& ſeq.* Videndus & *Spartian. Cap.* 6. *vitæ Caracallæ.* Armeni paulo poſt Teridatem Regem eligunt.

Antoninus Caracalla fraudulentam expeditionem in Artabanum ſuſcipit: Parthorum agros & urbes crudeliſſime diripit. *ex Dione Lib.* 79. *Herodian. Lib.*4. *Cap.* 101. *& ſeq.* At ubique fere iſte ceſpitat, teſtimoniisque Dionis falſi arguitur.

Anno 217. V. R. 970. Arſac. $\frac{47}{47}\frac{2}{1}$. cum Caracalla iterum vellet Parthis bellum inferre, hybernat Edeſſæ, unde diſcedens occiditur dolo Macrini VIII. Idus Aprilis. *Spartian. Cap.* 6. *& ſeq.* Macrinus Imperium ſcelere adeptus, confligit dubio eventu cum Artabano Rege, qui advenerat tunc cum ingenti exercitu, à quo Romani propudioſam pacem ægrè obtinent. *Dio Lib.* 78. *pag.* 888. *& ſeq.* quo cum conferendi *Herodianus Lib.*4. *Cap.* 108. *& ſeq. & Capitol. in vita Macrini.* Pergit *Dio Lib.* 78. *pag.* 887. Fuit hoc quoque bellum compoſitum, quod in Armenia geſtum erat, cum Tiridates diadema ſibi à Macrino miſſum accepiſſet, ac matrem quam Caracalla undecim menſibus in carcere detinuerat, à menſe Junio ſcilicet anni ſuperioris 216. una cum præda, quæ capta fuerat ex Armeniis, & iis cum agris, quos pater ejus in Cappadocia poſſederat, impetraſſet. Pater itaque Tiridatis

tunc Rex Parthorum Arſacem fratrem ſuum Regem Armeniæ conſtituit, ut refert Armeniorum hiſtoria apud *Procop. lib. 3. de ædificiis Juſtiniani.* Addit Procopius: neque enim ex Armenis oriundos quis exiſtimet Arſacidas. In Armenia majori ſedem habebat Armeniorum Rex jam inde antiquitus ſubditus Romano Imperatori.

Anno 226. V. R. 979. Seleucid. $\frac{5}{5}\frac{3}{3}\frac{7}{8}$. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{8}{8}\frac{1}{2}$. deletis Parthis Artaxares ſceleratus & injuſtiſſimus Perſicum regnum obtinuit, interfecto domino ſuo, Artabano, anno nempe 538. Alexandri Magni (id eſt epochæ Seleucidarum, & anno ineunte: Cœpit enim annus Seleuc. 538. autumno hujuſce anni V. R. 979. Chr. 226.) & cum Imperator Alexander annis quatuor regnaſſet; quartum autem annum complevit menſe Martio currentis anni 226. *Agathias lib.* 4. *pag.* 134. *Dio Epit. lib.* 80. *pag.* 918. Artaxerxes Perſa, cum tribus prælis Parthos ſuperaſſet, Artabanum Regem eorum interficit. *Herodian. lib.* 6. *cap.* 129. Artaxerxes Perſarum Rex Parthos devicit, atque Artabanum, qui prius Rex Regum appellabatur, & duplici utebatur diademate.

Anno 227. V. R. 980. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{8}{8}\frac{2}{3}$. Artaxerxes ſtatim atque Parthicum ſubvertit imperium, irruit in Armeniam, ex qua pulſus ab incolis Medisque nonnullis & filiis Artabani, qui ad patruum ſuum Arſacem Regem Armeniæ confugerant, ſe conjecit in fugam. *Dio lib.* 80. ſed potius receſſit Artaxerxes, juxta alios, ut majores copias compararet; ut docet nos *Dio ibidem.*

Anno 228. V. R. 981. Arſac. $\frac{4}{4}\frac{8}{8}\frac{3}{4}$. litteræ Ducum Syriæ & Meſopotamiæ redditæ Alexandro Imperatori, in quibus ſcriptum erat Artaxarem ſubigere vicinos barbaros Medos puta, Adiabenos, Corduenos, Elymæos, ac ſibi vectigales facere, neque jam intra fluvium Tigrim tenere ſe, ſed ſuperatis ripis ac Romani finibus Imperii, excurrere Meſopotamiam, Syriæque minitari. *Herodian. lib.* 6. *cap.* 129. *Dio vero lib.* 80. Hic Artaxerxes Romanis formidoloſus fuit; quod maximis copiis non modo Meſopotamiam invaderet, ſed etiam Syriam, minareturque ſe recuperatu-

anno, ſcilicet qui ſecundum Dionis conſulatum præceſſit.

Anno 229. V. R. 982. Arſac. $\frac{484}{485}$. Imperator Alexander in Orientem contra Perſas proficiſcitur. Exercitus unam partem jubet facere iter per Armeniam, quæ regio amica Romanis videbatur; atque illinc Medorum fines incurſare. Exercitus contendere per Armeniam juſſus vix ægreque ſuperatis ejus regionis aſperrimis montibus, quanquam iter tolerabilius æſtas faciebat, impetu in Mediam facto vicos concremavit, prædamque abegit; at Rex Perſarum intellectâ re confeſtim cum maximis copiis auxilio adfuit. Cæterum arcere illinc Romanos minime poterat; quippe aſpera regio peditibus quidem ſtabilem greſſum præbuit, equitatui vero barbarorum inacceſſa. *Herodian. lib.* 6. *cap.* 134. & 135.

Licet hæc expeditio Alexandro parum proſpera fuerit, tamen Romæ triumphavit.

Arſaces Romanis amiciſſimus & Perſarum hoſtis vivebat adhuc anno Arſac. 500. Chr. 244. Artaxerxe jam mortuo, & Sapore regnante, ut ex ejusdem Arſacis nummo nota numeri 500. Φ. conſignato cum Epigraphe: ΒΑΣ Α ΣΑΚΟΥ, quem tractavi, patet. Sub hoc Arſace omnis Arſacidarum progenies in Armenios translata fuit; Armeniorum etenim legati ſic alloquuntur Choſroem Perſarum Regem *apud Procop. lib.* 2. *de bellis pag.* 93. Arſacidæ quidem hic ſunt, Domine, non pauci e noſtro numero; ſcilicet Arſacis illius nepotes, qui non erat ſanguine alienus a Parthorum regibus; Arſacis nempe, de quo eo loci agitur, fratris Artabani, quando his Perſæ ſuberant, & quo Arſace regem ipſius ætas nullum tulit illuſtriorem. Equidem Ammianus Marcellinus vir meliorum litterarum rudis *c.* 16. *lib.* 23. ut & alibi, ſe antiquitatis externæque hiſtoriæ plane imperitum prodit, cum aſſerit *ad ſui memoriam non quenquam, niſi Arſacides is ſit, in ſuſcipiendo Regno cunctis anteponi apud Perſas*; quod falſum plenumque erroris eſt, & totius antiquitatis autoritate exploditur.

Arſaci ſucceſſit Artabazdes ſeu Artuaſt, qui Romanis non ita amicus & fidus fuit ac prædeceſſor. Nam Saporis amicum fuiſſe, eique contra Valerianum Imperatorem faviſſe

vile mancipium habiti misertus Artavazdes scripsit ad Saporem epistolam, quam refert Pollio: *In partem gloriæ venio*, victoriæ de Romanis reportatæ capto Valeriano, *sed vereor, ne non tam viceris quam bella severis. Omnes gentes orbis terrarum infestissimas tibi feciſti: fortassis & nobis, qui auxilia misimus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus.*

Cum autem annis abhinc decem mortuo Odenato ejus vidua Zenobia omnem Asiam Romanam occupasset, & se Reginam Orientis appellasset, Armeni à partibus Zenobiæ stetere, ut ipsamet testatur in epistola ad Aurelianum Imperatorem: *pro nobis sunt Saraceni: pro nobis Armeni.* (apud Vopisc. Aureliani vitæ Cap. 27.) At, ut eo loci scribit idem *Vopiscus*, Imperator alas Saracenas Armeniasque corrupit, atque ad se modo ferociter, modo subtiliter transtulit: addit *Cap.* 28. Aurelianum in vinculis tenuisse Armenos, illos nempe, quos ad auxilium Zenobiæ venientes intercepit Aurelianus: Armeni deinde (cæteri metu adducti, ut par est credere) Aurelianum veluti præsentem pœne venerati sunt Deum. Tunc non pauci erant in Armenia Christiani, quorum pastor erat Meruzanes Episcopus, ad quos ut perhibet *Eusebius hist. Lib.* 6. *Cap.* 46. scripsit Epistolam Dionysius Alexandrinus, qui Artavazde regnante floruit.

Artavasdes successorem habuit Arsacidam filium, cujus nomen verum ac genuinum nullibi reperi: iste autem Romanis amicissimus, & fidelissimus fuit, & eo regnante Armenia fere tota fidem Christi suscepit; scribit enim *Eusebius hist. Lib.* 9, *Cap.* 8. olim jam amicos & socios Romanorum, religionem Christianam tunc coluisse Armenos, cum eos fidei odio oppugnaret Imperator Maximinus; qui se ipsum Augustum renunciavit in Oriente verna tempestate anni Christi 308.

Anno Christi 301. V. R. 1055. Arsac. $\frac{5}{5}\frac{5}{5}\frac{6}{7}$. Narsæus Rex Persarum vicit Galerium Maximianum Cæsarem (*Euseb. Chronic. Scaligerian.*) unde Mesopotamiam occupavit.

Anno autem sequenti 302. Diocletianus misit Galerium contra Narsæum per Armeniam Romanis fœderatam, quamque hoc anno invasit Narsæus. Ita *Luc. Cæcilius Cap.* 9.

25000. ſuperveniens caſtris hoſtilibus, ſubito innumera Perſarum agmina aggreſſus ad internecionem cecidit. Rex Perſarum Narſæus effugit, uxores ejus ac filiæ captæ. Id peregit Galerius juvantibus Armenis, quos fideliſſimos & individuos ſocios Romanorum fuiſſe teſtatur *Euſebius loco ſuperiori laudato.*

At Cæſar Maximinus, qui ſe Auguſtum dixit anno 308. poſtea in Armenios bellum commovit, eos ad ſimulachrorum & dæmonum cultum traducere per vim conatur, pro amicis inimicos, hoſtes pro ſociis effecit (*Euſebius ibidem.*) Et ipſe quidem in bello adverſus Armenios una cum exercitu ſuo varias clades & ærumnas pertulit (*Euſebius ibidem*) ſed cum regionem vaſtaſſet pro more plerorumque Imperatorum quaſi victoriam reportaſſet, gloriatus eſt. Unde ſenior Auguſtus Galerius dictus eſt Armeniacus in edicto Palinodiæ prolato Chriſtianorum gratia anno 311. nam ante Maximinum cum Armeni, ipſo Euſebio teſte, ſemper fuerint Romanorum ſocii, propter ullum bellum geſtum à Galerio contra Armenos dici non potuit Armeniacus, niſi ſaltem poſtquam adverſus hanc gentem Maximinus bellum intulit, eosque pro amicis inimicos effecit.

Religionem deinde Chriſtianam Armeni deſerere coacti ſunt, & aliquot abhinc annis iidem Chriſto nomen iterum dederunt. Nam Tiridates Rex Armeniæ, qui idolorum cultor erat, miraculo quodam commotus Chriſti fidem amplexus eſt, & ut omnes Armeni baptizarentur juſſit, ſub Imperatore Conſtantino, quemadmodum refert *Sozomenus Lib.* 2. *Cap.* 8.

Tiridati ſucceſſit Arſaces imperante Conſtantio, filio Conſtantini. Arſaces iſte Romanorum ſocius jugiter cum Sapore II. Perſarum Rege conflixit. Idcirco Conſtantius dum in Cappadocia erat,

Anno Chr. 360. Arſac. $\frac{615}{615}$. accitum Arſacem Armeniæ Regem ſummaque liberalitate ſuſceptum præmonebat, & hortabatur, ut Romanis amicus eſſe perſeveraret & fidelis; audiebat enim ſæpius eum tentatum à Rege Perſarum fallaciis & minis & dolis, ut Romanorum ſocietate poſthabitâ

comitibus, quos duxerat, rediit ad regnum nihil ausus postea temerare promissorum, obligato gratiarum multiplici nexu Constantio. Inter quas illud potius excellebat, quod Olympiadam Ablabii filiam Præfecti quondam Prætorio is copulaverat conjugem sponsam fratris sui Constantis. *Ammianus Marcell. Lib.* 20, *pag.* 255. Id tamen vitio vertit Constantio Athanasius in Epistola ad Solitarios: Sponsam ipsius Constantis Olympiadem barbaris (Armenis) dedit Constantius.

Anno 361. *ex Ammiani Lib.* 21. *pag.* 272. quia Persarum Rege ob difficultatem hiberni temporis ægre contruso referata cæli temperie validior impetus timebatur, ad Transtigritanos Reges & Satrapas legati cum muneribus missi, monituri cunctos & hortaturi nostra sentire, & nihil fallax tentare. Ante omnia tamen Arsaces & Meribanes Armeniæ & Hiberiæ Reges cultu ambitioso vestimentorum recreabantur & multiformibus donis, damna negotiis Romanorum illaturi, si rebus tum etiam dubiis descivissent ad Persas.

Anno 363. Arsac. $\frac{618}{619}$. Julianus contra Persas proficiscens 30000. militum commisit Procopio juncto ad parilem potestatem Sebastiano Comite; iisdemque præcepit, ut intra Tigridem agerent; mandabatque eis, ut Regi sociarentur Arsaci, cumque eo per Corduenam & Moxoenem Chilocomo Mediæ uberi tractu partibusque aliis, præstricto cursu vastatis, apud Assyrios agenti sibi concurrerent, necessitatum articulis adfuturi. *Ammian. Lib.* 23. *pag.* 355.

Interfecto paulo post Juliano ejus successor Jovianus propudiosæ pacis fœdus statim pepigit cum Sapore Rege Persarum, cujus fœderis duris conditionibus exitiale aliud accessit & impium, ne post hæc Arsaci poscenti contra Persas ferretur auxilium, amico nobis, (Romanis) semper & fido. Quod ratione geminâ cooptatum est, ut puniretur homo, qui Chiliocomum mandato vastaverat Principis Juliani & remaneret occasio, per quam subinde licenter invaderetur Armenia. *Ita Ammian. Lib.* 25. *Cap.* 17. *pag.* 434.

Anno 368. Arsac. $\frac{623}{624}$. *Ammianus Lib.* 27. *Cap.* 12. Rex

cidit ferro pœnali. *Procopius vero Lib.* 1. *de Bello Perſico Cap.* 5. Perſis aliquando bellum inexpiabile fuit cum Armenis per annos 32. (cœperat itaque anno 336. vivente Conſtantino) imperante illis ΠΑΚΟΥΡΙΩ, *Pacurio* (lege ΣΑΒΟΥΡΙΩ, *Saburio*) ſub Arſace ex gente Arſacidarum, & graviter quidem utrosque, ſed Armenos diuturnius impendio bellum imprimis afflixerat: eo proceſſerat mutua diffidentia, ut neutri integrum eſſe putarent caduceatores mittere. Interim forte accidit, ut cum aliis barbaris Armeniæ accolis bellum Perſæ ſuſcepe-rint, hic Armeni, quo ſuam in Perſas benevolentiam, & pacis cum ipſis alendæ ſtudium declaraſſent, in barbarorum illorum fines prorumpere ſtatuerunt. Cum autem de ſuo conſilio certiores Perſas feciſſent, improviſo impetu Barbaros ſine ullo ætatum diſcrimine ad internecionem prope ceciderunt. Quo facto ſumme lætatus Saburius Arſacem per quoſdam ex intimis data fide ad congreſſum invitavit: eumque poſtquam advenit, prolixa humanitate dignatus, non aliter habuit quam ſi cum fratre parique egiſſet: tum demum jusjurandum exegit ſanctiſſimum, ipſeque viciſſim reddidit, Perſas deinceps atque Armenos mutuam ſibi benevolentiam & in bellis auxilium præſtituros; mox in patriam dimiſit. Haud multo poſt quidam ad Saburium detulerunt, rebus novis Arſacem ſtudere; id Saburius ſibi paſſus perſuaderi, ipſum iterum ad conferenda de ſumma rerum, ut ajebat, conſilia advocavit, nulla is interpoſitâ morâ, cum duces Armenos bello egregios in comitatu habens, tum Baſileium (Baſilium) quem ob fortitudinem ac prudentiam ſingularem & rei bellicæ & conſilio regio præfecerat, ambos amarulentis verbis excepit Saburius: ſpretum exprobrans jusjurandum, quo vix dato incubuiſſet ad defectionem. Inficiari illi conſtantiſſimeque tale conſilium abjurare; nihilo tamen minus Saburius eos in cuſtodia primum habuit, & parum quidem illa liberali & honeſta, poſtea quid in ipſo eſſet ſtatuendum requiſivit ex Magis. Cum tandem Magi fœdifragum, & perjurum judicarent: è Baſilio quidem diripi cutem juſſit Saburius, deinde utrem ex eâ fieri, tum infarciri

eo, qui fuerit illuc conjectus mentionem unquam fieri vetat, pœna etiam capitali iis propoſita, qui ipſius nomen protulerint. Nil mirum igitur, quod *Ammianus* aſſerit loco ſuperius laudato, *ex Cap.* 12. *Lib.* 27. Arſacem diſcruciatum cecidiſſe ferro pœnali. Licet Sapor virum è ſanguine regio cretum morte afficiendum non duxerit, quemadmodum *Procopius ex hiſtoriis Armenorum* refert: Nam quamvis diu vixerit Arſaces in caſtello oblivionis, illum tamen ſupplicio ibidem interemptum jubente ſævo & truce Sapore, opinati ſunt multi: quibus conſentit *Ammianus*.

Dum in carcere gemit Arſaces, Armeniæ maximum latus Medis conterminans, & Artaxata inter diſſenſiones & turbamenta rapiunt Parthi, id eſt, Perſæ. *Ammian. lib.* 25. *cap.* 7. *& lib.* 27. *cap.* 12. Cylaci ſpadoni & Artabanni, quos olim Sapor ſuſceperat perfugas, commiſit Armeniam, iisdemque mandarat, ut Artogeraſſam arcem intentiore curâ exſcinderent, oppidum muris & viribus validum, quod theſauros & uxorem cum filio Arſacis tuebatur. Iniere, ut ſtatutum, eſt obſidium Duces, & quoniam munimentum poſitum in aſperitate montana, rigente tunc cœlo nivibus & pruinis adiri non poterat. Cylaces adſcito Artabanne ad interiora oppidi ſuſceptus, ut poſtulavit; ſuadebat minaciter defenſoribus & Reginæ motum Saporis inclementiſſimi omnium lenire deditione veloci: multis poſt hæc ultro citroque dictitatis, ejulanteque muliere truces mariti fortunas; proditionis acerrimi compulſores in miſericordiam flexi mutavere conſilium, & ſpe potiorum erecti ſecretis colloquiis ordinarunt hora præſtituta nocturna recluſis ſubito portis validâ manu erumpere, vallumque hoſtile cædibus aggredi repentinis, polliciti ſe prodituros. Inde vigiliis, quibus altiore ſtertitur ſomno, civitatis aditu reſerato, juventus exiluit velox; cum caſtra nihil metuentium invaſiſſent, jacentes multos nullis reſiſtentibus trucidarunt.

Arſacis filium Param ſuadente matre cum paucis è m
nimento digreſſum ſuſceptumque Imperator Valens ap

lentem auxilium, eundemque Param ſibi Regem tribui poposcerunt. Sed pro tempore adjumentis negatis per Terentium ducem Armeniæ Romanæ Para reducitur in Armeniam; recturus interim ſine ullis inſigniis (ſine Diademate ſcilicet) ne fracti fœderis, ſanciti inter Saporem & Jovianum, de quo ſupra, nos argueremur Romani & pacis. Hoc comperto Sapor Armenias vaſtat. Cujus adventu territus Para, itidemque Cylaces & Artabannes nulla circumſpectantes auxilia, celſorum montium petivere receſſus, limites Romanos diſterminantes & Lazicam, ubi per ſylvarum profunda, & flexuoſos colles menſibus quinque deliteſcentes, Regis multiformes luſere conatus, qui operam teri fruſtra contemplans, ſidere flagrante brumali menſe Decembri anni 369. pomiferis exuſtis arboribus, Artogeraſſam circumſeptam, & poſt varios certaminum caſus laſſatis defenſoribus patefactam incendit, Arſacis uxorem erutam inde cum theſauris abduxit. Quas ob cauſas ad eas regiones Arinthæus cum exercitu mittitur Comes ſuppetias laturus Armeniæ. Inter quæ Sapor ſocietatis futuræ ſpecie Param ut incurioſum ſui per latentes nuntios increpabat, quod Majeſtatis Regiæ velamento Cylaci ſerviret, & Artabanni: quos ille interfecit, capitaque cæſorum ad Saporem ut ei morigerus miſit. Hac clade latè diffuſâ Armenia omnis periſſet impropugnata, ni Arinthæi adventu territi Perſæ eam denuò incurſare diſtuliſſent, hoc ſolo contenti, quod ad Imperatorem miſere legatos, petentes nationem eandem Armenorum, ut ſibi & Joviano placuerat, non defendi. Quibus repudiatis, Sauromaces (emenda ex nummis Sauromates, licet ſemper Sauromaces per C. ſcriptum nomen reperiatur apud Ammianum) pulſus Hiberiæ regno, cum duodecim legionibus & Terentio remittitur: & eum amni Cyro jam proximum Aſpacures oravit, ut ſociâ poteſtate conſobrini regnarent. Imperator diviſioni acquievit Hiberiæ inter Sauromatem & Aſpacurem. His percitus Sapor quod contra fœderum textum [illegible]uvarentur Armeniæ, vicinarum gentium conquirebat auxilia, ſuumque parabat exercitum, ut ſerenata cœli tempe-

ſte *Ammian. Lib.* 28. *Cap.* 1. *pag.* 508. eâ tempeſtate, qua Olybrius urbi præfectus erat. Præfecturam autem Olybrius obtinuit urbanam ab anno 368. usque ad annum 370. inclusivè; unde patet in principio hujus libri mendoſe ſcribi (ut jam vidit Valeſius in Notis) *bella Regis Perſarum perfidia redivivа conſurrexiſſe in Eois tractibus anno decimo ſexto*, & eò diutius poſt Nepotiani exitium (qui periit Romæ Sergio & Nigrano Coſſ. anno Ær. Chr. 350.) Annus enim quo præfecturam iniit Olybrius 18. jam erat affectus à cæde Nepotiani. *Procop. de bello Perſico lib.* 1. *pag.* 17. χρόνῳ δὲ ὕστερον *tempore ſequenti* (id eſt annis aliquot elapſis) poſtquam Arſaces dolo captus eſt, quidam Armenus ex intimis Arſacis & eorum numero, qui ipſum in Perſidem comitati fuerant, militarem navavit operam Perſis adverſum Barbaros: quamobrem contendit ab eo Pacurius (emenda Sapurius, Σαπώριος, non Παπούριος) ut peteret quidquid collibitum eſſet, affirmans, ei nihil ſe negaturum; Unum hoc illi rogavit, ſibi ut poteſtas fieret miniſtrandi Arſaci per diem unum, idque prout libido foret. Mirum quam grave Regi fuerit in neceſſitatem adduci infringendæ tam antiquæ legis (de qua ſupra ad annum 368.) fidem tamen ne falleret annuit poſtulatui; mandato itaque Regio admiſſus ille in caſtellum oblivionis, Arſacem ſalutavit, hi inter ſe complexi & in ſuaviſſimum lamentum effuſi vicem ſuam complorarunt: tum Arſacem lavit Armenius & totum accurate compoſuit, habitu etiam regali reclinavit in toro. Arſaces regifice pro more priſtino apparatis epulis eos accepit, qui adfuerunt. Summa certè fuit confabulandi ſuavitas, vix tandem diſceſſerunt, lauti epuli voluptate perfuſi; ſubinde Arſacem dixiſſe memorant, haud æquo deinceps animo laturum ſe ærumnas vitæ, poſtquam cum mortalium ſibi omnium optatiſſimo lætiſſimum diem egiſſet. His dictis cultro, quem de menſa conſulto ſublegerat, ſe confodiſſe itaque occubuiſſe, prodit hiſtoria Armenorum: hucusque *Procopius*.

Anno 373. Arſac. $\frac{6}{6}\frac{2}{2}\frac{8}{9}$. (*Ammian. lib.* 30. *cap.* 1.) dirum in Oriente committitur facinus. Para Rege Armen[illegible]

ſcribendo ad comitatum aſſidue Cylacis necem replicabat & Artabannis, addens eundem juvenem ad ſuperbos actus elatum nimis eſſe in ſubjectos immanem. Unde idem Para regaliter vocatus, & apud Tarſum Ciliciæ obſequiorum ſpecie cuſtoditus, cum neque ad Imperatoris caſtra accipi poſſet neque urgentis adventus cauſſam ſcire, tandem comperit per litteras; ſuadere Terentium mittere propediem alterum Armeniæ Regem, ne odio Paræ natio deficeret ad jura Perſarum. Ille nullam ſalutis niſi diſceſſum reperiens viam, trecentis comitibus cum equis velociſſimis, ut in magnis ſolet dubiisque terroribus, audacter magis quam conſideratè properabat. Biduo & binoctio cum ad flumen veniſſet Euphratem, inopia navium lectulos in villis repertos binis utribus ſuffulſerunt, quibus ſingulis proceres Armeni inſidentes & regulus ipſe, jumenta trahentes ad ulteriorem ripam pervenerunt: reſidui omnes equis invecti natantibus expelluntur ad contrarias margines Euphratis, tandem Para regno incolumis reſtitutus & cum gaudio popularium ſummo ſuſceptus eſt.

Danielus interea comes & Barzimeres ſcutariorum tribunus ad intercipiendum & revocandum Armenos fugientes miſſi à Valente fuerant leniendi cauſa flagitii ſui vel fraudis apud Imperatoris aures inceſſabant falſis criminibus Param: hinc in illum inexpiabile odium principis, agentique tunc in Armenia Trajano, & rem militarem curanti id ſecretis committitur ſcriptis, ut Armeno clam vita adimeretur, qui inlecebroſis Regem inſidiis ambiens & modo ſerenæ mentis Valentis indices litteras tradens, modo ipſe ſeſe ejus conviviis ingerens, ad ultimum compoſitâ fraude, ad prandium invitavit; qui nihil adverſum metuens venit, conceſſoque honoratiore loco diſcubuit. Jam vino incaleſcente, ipſo convivii domino per ſimulationem naturalis cujusdam urgentis egreſſo, quidam immittitur barbarus confoſſurus juvenem, qui perforato pectore procubuit victima multiplicatis ictibus conciſa. *Idem Ammian Cap.* 2. Sapor comperto interitu Paræ, Arrace legato ad Principem miſſo, perpetuam ærumnarum cauſſam deleri penitus ſuadebat Arme-

tentus, ut jactitabat, sceleste concupiscat Armeniam, ad arbitrium suum vivere cultoribus ejus permissis. Hi autem legati Sapori sine mandatis regiones exiguas Armeniæ obtulerunt; tum Surena advenit has easdem Imperatori offerens partes, quas audacter nostri sumpsere legati, quo magnifice suscepto, sed parum impetrato quod poscebat, parabantur magna instrumenta bellorum.

Hæc contigere anno 373. Arsac. 629. secuto enim (ut ait idem *Ammian. Cap.* 3.) posthæc anno, Gratianus adscitur in Trabeæ societatem Æquitio Consule V.R. anno 1127.

Itaque cum ne quidem Armeniæ Majoris partem Imperator Valens Persis cedere voluisset, mortuusque tunc esset sævus & bellicosus Rex Sapor, in Armenia regnavit Arsaces Paræ juvenis Regis occisi nuper frater, ut probabilissimum duco: Arsacis autem istius totius Armeniæ Regis meminit *Procopius lib.* 3. *de Ædific. Justiniani p.* 52. Armeni autem sub Arsace Romanorum fœderati tranquillam pacem habuere: Persæ enim (teste *Paulo Orosio lib.* 7. *cap.* 34.) ultro ad Theodosium Seniorem misere legatos pacemque supplices popposcerunt ictumque fœdus est, quo totus Oriens nunc tranquillissime usque ad nunc fruitur: id est usque ad annum V.R. 1168. Chr. 415. quo scribebat Orosius.

Pacem istam cum Persis pepigit Theodosius anno, quo natus est Honorius, Abrahami 2400. teste *Idatio in Chronico*, Coss. Ricomere & Clearcho juxta ejusdem *Idatii Fastos* & *Marcellini Chronicon*, id est, anno V.R. 1137. Æræ Christ. 384. Arsac. $\frac{639}{640}$.

Arsaces Armeniæ Rex cum duos haberet filios Tigranem & Arsacem condito sub vitæ exitum testamento ambos regni successores scripsit, ditionem utrique haud partitus æqualiter; quippe Tigrani portionem addixit majorem quadruplo. Igitur Arsaces pater cum de regno sic statuisset, migravit e vitâ: Arsaces vero filius ejus indignans, ac graviter ferens, quod pejor esset conditione, rem ad Imperatorem Romanum detulit eâ spe, fore ut omnibus admotis machinis fratrem regno deturbaret, & iniquam patris sen-

regno dedidit, ſatius ducens vitam apud illos privatam agere, quam cum germano compoſita ex æquo lite in Armeniâ bona fide ſimul regnare. Similiter Arſaces à fratre & Perſis inſidias metuens Theodoſio Imperatori regno ceſſit certis conditionibus, quas in libris de bellis retuli (*inquit Procop. ibidem*) Idem *lib.* 2. *de bello Perſico cap.* 3. *pag.* 93. refert Armenorum legatorum Orationem ad Choſroem Regem „Perſarum, in qua hæc leguntur: Arſaces is qui Rex fuit po„ſtremus ex majoribus noſtris Theodoſio Romano Impe„ratori regno ſuo ultro ceſſit, hac lege, ut omni deinceps „ævo quicumque ipſum propinquitate contingerent, cum „in cæteris rebus viverent ad arbitrium ſuum, tum omnium „omnino vectigalium immunes.

Id contigit anno Chriſti circiter 412. Arſacidarum 676. cum Theodoſius ſecundus Imperator eſſet ἔτι κομιδῇ παῖς *adhuc valde puer*, annos ſcilicet natus novem vel decem ſub Rege Perſarum Izdegerde. Sic tandem nobiliſſimi Arſacidæ cum annis 675. diademate inſigniti fuiſſent, privati effecti Imperatoribus Conſtantinopolitanis, vel Regibus Perſarum ſervire cœperunt.

Annalium Arſacidarum FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Lombard, Johann Heinrich,

Trutina trium Quaestionum controversarum: An principes paragiati sint status Imperii? ...

Francofurtum 1710

4 Diss. 5280#Beibd.1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11051354-6
VD18 14674726-001